

Vtrâque definitio non videtur satis legitima, præsertim si sermo est de seruitute generatim sumptâ, quatenus complectitur naturalem & legalem. Prior ergo plus habet elegantiae, quàm veritatis. Seruitus quippe propriè obedientia non est, sed destinatio, obligatio, & aptitudo ad obtemperandum, neque enim in seruis adeo fractus & abiectus est animus quin præclara moliantur. Posterior nimis est angusta quia soli conuenit bellicæ seruituti & legali, de quâ loquuntur Iurisconsulti. At quarimus definitionem communem naturali & legali, qualis est hæc. Seruitus est ea hominum dispositio fors & vitæ conditio, quâ alij aliorum dominio subiiciuntur, eisque vel tanquam sapientioribus, vel tanquam victoribus sponte vel inuitè obtemperant.

Quæ definitio duplicem seruitutem inuit, naturalem, & legitimam. Naturalis est quâ quis corpore robusto præditus, naturæ lege & sponte suâ prudentioris imperio subiaceret ob heri, suumque bonum. Huic seruituti respondet libertas, imo nobilitas & dominatio naturalis, quæ est mentis seu virtutis ac prudentiæ congenita quædam præstantia, quâ quis & sibi & aliis rectè consulere potest, adeoque imperare.

Seruitus legalis est ea vitæ fors & subiectio, quâ quis in bello victus, venit in potestatem victoris, eiusque imperio subiaceret, & de hac seruitute intelligi debet Imperatoris Iustiniani definitio in elementis iuris tradita tit. 3. de Iure personarum, vbi ait Imperator, omnes homines aut liberos esse, aut seruos: & libertatem naturalem esse quidè eius quod cuique facere libet, nisi quid vi aut lege prohibetur; seruitutem autem constitutionem iuris gentium, &c. & seruos quidem dicit quod Imperatores vendere eos captiuos ac per hoc seruare, nec occidere solent, qui etiâ mancipia dicti sunt eo quod ab hostibus manu capiuntur.

An vero iusta sit legalis seruitus diximus cum Aristotele in textu.

Vt verò seruitus duplex, sic seruus à naturâ scilicet & à lege: itémque nobilitas; cum seruitus & nobilitas opponantur.

Vbi autem Iurisconsultus de seruis agit loco citato, loquitur maximè de iis qui à lege sunt, quos ait, vel nasci, vel fieri. Nasci quidem ex ancillis nostris & hi vernæ dicebantur; fieri verò vel iure gentium, id est captiuitate, aut iure ciuili, cum liber homo maior viginti annis, ad pretium participandum, sese venundari passus est. Vbi obseruandum est, fieri etiâ seruos alio modo, idque iure ciuili, nempe reuocatione, si ingratus sit in patronum libertus; similiter per assertionem, si ea non fuerint seruata, quæ traduntur, vt notauit Æmilius Ferretus in notis ad tit. 3. Institutionum ciuilium. Hinc

apparet discrimen serui à natura, qui definitur instrumentum animatum, actiuum, separatum, alterius homo & ratione vtens non sua, cui naturale & commodum sit prudentiori obtemperare: & serui à lege, qui scilicet vi & fortuna talis est, nec villo amicitiae vinculo cum domino victore coniungitur, nam inter talem dominum & seruum plus est odij, quàm amicitiae, quo sensu illud verè dici solet, quot serui, tot hostes.

Notatu digna est serui descriptio ex Appelle, qui pinxit hominem cum auribus Asininis, naribus porcinis, manibus omni genere instrumentorum plenis, humeris patulis, ventre macilento, pedibus ceruinis, labijs denique duplici serâ clausis, quibus figuris, boni serui virtutes significabat, nempe tarditatem in audiendis domini consilijs, diligentiam in commodis domini olfaciendis, præparationem animi & corporis ad quiduis faciendum, vitæ frugalitatem, agilitatem corporis, patientiam, fiduciam & taciturnitatem.

*An animus imperet corpori Despoticè,
mens appetitui Politicè?*

QVÆSTIVNCVLA VI.

Affirmat Aristoteles cap. 5. huius libri & verè, non enim tantum experimur animum corpori suo dominari, & mentem appetitui sensitiuo, sed etiam corpus nostrum ita esse in potestate animæ, vt huic nunquam resistat aut repugnet, quin potius animæ arbitrium sequatur, ei obediat tanquam naturale organum ipsius, quod imperium despoticum est, siue herile. Item appetitum sic esse in potestate rationis, vt tamen eius imperio resistat. Certum enim est mentem siue rectam rationem aliud consulere, aliud verò appetitum sentientem; & licet meliora videamus, vt Medea poëtica, eaque probeamus, deteriora tamen sequamur; adeo procliues sunt ac proni sensus nostri ad malum vt est cap. 8. Genes. 9. Quod & D. Paulus de se confitetur, Sentio inquit, in membris meis, legem repugnantem legi mentis meæ. At hoc imperium est politicum vel regiū, quale scilicet est regis aut magistratus in ciuem. Nam interdum resistunt ciues principi, ergo imperat mens appetitui politicè, animus corpori despoticè, siue heriliter, vt artifex instrumento.

An femina debeat imperare.

QVÆSTIVNCVLA VII.

NEgat Aristoteles, qui cap. 5. huius libri ait de naturæ lege esse, ut mas fœminæ imperet, quia meliori & præstantiori debetur imperium. Mas autem fœminâ fit præstantior, melior & sapientior, & certè simile monstro est viro imperare fœminâ, quæ ipsa prima sit naturæ *πρὸς τὸ κατὰ φύσιν*, ac ferè monstrum, teste Aristotele cap. 3. lib. 4. De generatione animalium. Imò aiunt politici quidam fœminæ imperium repugnare iuri diuino & humano: cum instituerit Deus ipse in utroque testamento cap. 3. Genes. c. 2. epist. 1. ad Timotheum, ut vir esset caput mulieris: & lege 2. de regulis iuris, fœminæ remoueantur ab omnibus officiis ciuilibus, etiam à tutelâ. Sed & notat Stobeus sermone 72. familiam nullam fœlicem fuisse, quæ à mulieribus gubernata sit. Sanè ut ad fœliciter imperandum animi dotes plurimæ, exque insignes ut prudentia, iustitia, fortitudo, ars militaris, summæque animi moderatio desiderantur, quibus nō tam excellūt mulieres, quàm viri, quòd si imperio domestico mulier non sufficiat, quomodo politico poterit esse satis? Negant ergo politici plerique ad reipub. gubernacula mulierem admitti debere, quâ de re legendi sunt Diuus Augustinus quæst. 45. in vetus Testamentum, Tholosanus lib. 7. de reipub. cap. 11. Bodinus lib. 6. cap. 5.

Sed contrà sentiunt Ioannes Casus Anglus ad cap. 3. lib. 6. Politicorum, & Iustus Lipsius cap. 3. lib. 2. Politicorum, cum natura, inquit Anglus, fœminam sæpe solertem, industria litteratam, educatio piam, experientia sapientem faciat, vbi studio partium & amore patrij iuris laudat suam Elisabetham Angliæ Reginam quæ heroicis, ut ait Bartholomæus Keckermannus cap. 2. lib. 1. Systematis politici, prædita virtutibus per multos annos beata regnârit. Sed & huic sententiæ, quæ fœminarum imperium etiam politicum probat, summam auctoritatem ac fidem adfert, quod circumfertur de illustribus fœminis non paucis; quæ sapientiâ, consilio, scientiâ, pietate, industriâ viros principes quamplurimos superârunt. Sic laudatur in sacris litteris Regina Saba ob eximiam sapientiam. Cornelia à Quintiliano ob multiplicem rerum cognitionem, Artemisia à Gellio lib. 10. Tamyris à Iustino lib. 1. Hester & Iuditha in sacris litteris, ob animum plusquam virilem, & sexu fœmineo superiorem, Tamyris enim Cyrum, Hester Hammonem vicerunt, Iuditha Holofernem trucidauit. Sed & Gallia nostra

Ioannæ cuiusdam, quam vulgò puellam Aurelianensem vocant, prudentiam & bellicam fortitudinem, non sine magno suo commodo olim experta est regnante Carolo VII. itavt puella hæc habita fuerit regni instauratrix: in cuius ideo gloriosam memoriam erecta fuit Ærea statua, quæ etiam nunc visitur in ponte Aurelianensi. Non ergo videtur denegandum fœminis imperium, præsertim si his virtutibus excellent, quæ ad fœliciter imperandum sunt necessaria.

Non est tamen difficile controuersiam hanc dirimere, si enim absolutè, simpliciter, ordinariè ac per se loquamur, proculdubio imperium debetur viro, ob rationes fortissimas prioris sententiæ: si verò comparatè, per accidens, secundum quid, & extraordinariè; vel etiam habitâ ratione consuetudinis locorum, & institutionum, atque ut euitentur bella & incommoda maiora, satius est fœminas interdum imperare, maximè si heroicâ virtute præstent, quod est rarissimum; & accedat Ordinū omnium ac subditorum consensus. Certum enim est inueniri aliquando posse fortes fœminas ac prudentes, quæ, ut loquitur Tacitus lib. 6. virilibus curis fœminarum vitia exuerunt.

Quid Monopolia, an licita sit.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Meminit Aristoteles cap. 12. huius libri *πρὸς τὴν μονοπωλίαν*, quam ait multum conferre ad Chrematisticen siue artem quæstuariam. Nempe quia *μονοπωλία*, vel monopolium, nihil est aliud, quam cum quis solus certas merces vendit, vnde ei ingens obtingit nasciturque utilitas. Vbi factum insigne Thaletis eximij philosophi commemorat, qui hac arte magnam vim pecuniæ collegit, ut notauimus in textu; & certè hac pecuniæ accumulandæ viâ ac ratione multas ciuitates vti, testatur Aristoteles, cum fructu & commodo. Quod & de Heracleotis narrat li. 2. Oeconomicorum. An vero iusta sit monopolia, quærunt Iuriconsulti ad codicem de monopolis: respōdētque publica monopolia esse iusta, ut quando ciuitates & respublicæ ea communi lege instituunt, propter bonum publicū; Priuata vero iniusta esse & vetita. Porro priuilegia sunt de genere monopoliorum, quæ tamen his temporibus & iam antehac certis personis à Regibus ob certas causas concessa fuerunt; sed hæc satis ad lib. 1. Politicorum.

LIBER SECVNDVS
Politicoꝝ Aristotelis.

CONSTAT duodecim capitibus, licet Perionius, Castus, & Giphanius decem tantum constituent. In his enarrat atque etiam ad examen vocat Aristoteles varias Reipublicæ gerendæ formas & instituta, quæ sua potissimum ætate florebant, & vel in usu erant, vel scripto tantum siue doctrina tradebantur à Philosophis quibusdam, vel à Politicis.

Ad Cap. primum.

VT optimam ciuilem societatis formam exhibeat, statuit esse prius excutendas insigniores πολιτίας, & quibus bene moratæ ciuitates vtuntur, vt quid rectum in illis, & quid in iis quæ suo tempore vigent; prauum sit, intelligatur. Quo loco Rempublicam optimam, in qua scilicet omnia ea præsto sunt, quæ ad vitam beatissimam desiderantur, eleganter vocat μάλιστα καὶ εὐχέλως, maximè ex animi sententia, Gallicè, à plein souhait.

Orditur ergo à ciuili communitate, docetque omnino necessum esse, vt inter ciues omnia sint communia, vel quædam, vel nihil. Ac primum quidem facillè statuit non posse nihil esse ciuibus commune; quia ciuitas, κοινωγία τίς ἐστίν, estque loco communi definita, & ipsi ciues sunt vnius vrbs incolæ. Sed an omnia debeant esse communia, quæ esse possunt; in optima ciuitate; vt in Republica Platonis, liberi, vxores, possessiones; valde esse controuersum.

Ad Cap. secundum.

Socratis & Platonis sententiam de vxorum, liberorum, bonorumque omnium communiōe refutat, destructo eius fundamento, quod erat eiusmodi: Optima est ea Respublica seu ciuitas, quæ coniunctior est, & magis vna; atqui Respublica per communitatem illam bonorum omnium est coniunctior, & magis vna; ciues enim omnes coniunguntur arctius, estque inter eos vnio maior, cum omnibus vtuntur vt suis: Ergo communiō bonorum omnium in Republica est optima. Negat maiorem propositionem Aristoteles, & merito. Quia non patitur ratio ciuitatis vel Reipublicæ vt adeo sit vna; neque eius perfectio summa consistit in vnitate. Imò verò vnio destruitur: si enim ita vniretur, vt in domum, (quæ magis vna est quàm ipsa Respublica) redigeretur; & adhuc in perfectiorem vnitatem procedendo, è domo vna, in vnum hominem, (qui magis vnus est quàm domus cuius est pars,) resolveretur, profecto ipsa Respublica interiret. Sed & respublica non tantum natura & essentialiter, vt

Tom. 3.

aiunt, est hominum multitudo; verum etiam hominum specie, id est, ordine, statu, vitæque instituto differentium; ergo non adeo conseruatur vnitate, vt Plato existimauit. Accedit quòd ciuitas debeat esse bonis omnium generum cumulata, vt sit αὐτάρκης. At vnitas illa summa tollit diuersa bonorum genera, eorumque copias reipublicæ necessarias. Ergo vnitas illa & communitas Platonice ciuitati seu reipublice est perniciofa.

Ad Cap. tertium.

Pergit in Platonica communitate refellenda, docetque, non ideo sequi ciuilem societatem esse vnã, quòd omnes dicant, *meum & non meum*, vt putabat Socrates. Licet enim possint omnes viri, verbi gratia, posita rerum omnium, etiam vxorum, communitate, confuse affirmare suum hoc esse, putà filium, vxorem, si nimirum collectiue & in vniuersum fumantur; hoc tamen modo non exurget summa illa concordia, vnitas, & coniunctio, quam ipse Socrates siue Plato desiderat; quia sic omnia erunt omnium in confuso, & collectiue, vt aiunt, non singulorum, & distributiue: vnde non emerget tanta concordia, tantisque rerum maior & cura. Ημεῖς γὰρ ὁμιλίας πλεονάζει τὸ πλείστον κοινόν. *Quæ enim res communis est pluribus, ea negligi solet.* Vt hinc ait Aristoteles: καὶ οἱ πολλοὶ θεράποντες εἰσὶν ἧτερον ὑπερεῖσσι ἑλαπίστων, & *plures famuli interdum deterius seruiunt, quàm si pauci fuerint.* Sed & illa communitas tollit consanguineorum, & proprie sobolis agnitionem, omnemque cognationem confundit. Causa etiam est parricidiorum, verborum, flagitiorum, incestuum, aliorumque criminum, quæ non fierent omnino, aut saltem rariùs, si personæ se inuicem agnoscerent. Imò & impunitatis debitæ; quia cum non distinctè cognoscatur patres, fratres, sorores, filij, filij; non possunt etiam crimina inter tales personas perpetrata verè cognosci, atque adeo nec iuste expiari. Ergo iniustissima est & perturbatissima Platonica illa vxorum liberorumque communitas.

Ad Cap. quintum.

Agit de bonorum communitate, quam statuit, contra Platonem, è Republica simpliciter tollendam esse: eo quòd litium & discordiæ sit parens. Vix enim fieri posse, quin sæpe in bonorum communiōe vnus fructuum plus capiat, alter plus laboris, vnde querelæ & dissidia. Præterea si difficile est vnà viuere homines & in societate, longè difficilius erit omnes bonorum communiōe gaudere: At illud difficile. Hoc enim declarant socij itinervis, ἐκ μικρῶν ἀσθενέστεροις ἀλλήλοις, qui sæpe de leuissimis altercantur: item aspera verba & clamores in nostros famulos, quorum quotidiana opera vtimur. Offendimur enim potius

Lib. 5. de Reubl. apud Platonem.

Communiō negligenter.

Tollendâ bonorum communiō.

Difficile est homines placidè viuere simul.

f

in eos quibuscum quotidie versamur, quàm in alios. *Et nimia familiaritas parit contemptum.* Statuit ergo bona debere esse πῶς, id est, aliquo modo communia, putà secundū vsum. Sic enim κοινὰ τὰ φίλων, amicorum bona erunt communia; absolutè autem ἑ δ' ἑ, propria. Atque adeo cōmunitatis & proprietatis commoda coniungentur. Proprietatis autem commoda sunt vacuitas discordiarum, & maior rerum cura ac diligentia, vnde bonorum incrementum. Addit, cōmunitatem Platoniam homines insigni bono destituere, scilicet voluptate, quam ex rerum dominio ac proprietate omnes concipiunt. Item & officia virtutum duarum abolere, temperantiæ scilicet & liberalitatis: cū illius officium sit ab aliena vxore abstinere: quod tamen permittit Platonica cōmunitas, quæ nullam propriam vxorem admittit. Huius verò propria bona non communia largiri. Vt ergo harmoniam musicam destruit, qui eam ad vnam vocem reducit, & τὴν συμφωνίαν facit ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ῥυθμὸν, βίασιν μίαν: sic Socrates & Plato ciuitatem destruunt, qui eam nimis vnam faciunt, cū ciuitas ex dissimillimorum hominum consensu, putà mediis infimisque ordinibus certa ratione temperatis, constituitur: quæ quidem ordinum varietas & multitudo si tollatur, ciuitas interibit. Debet ergo ciuitas siue Respublica absolutè esse multiplex, cū sit essentialiter multitudo πλῆθος, quodam autem modo vna, nempe διὰ τὴν παιδείαν, secundū disciplinam, & institutionem, id est, secundū iustitiæ præcepta, bonasque leges. Sub finem capituli duplici nomine acculat & reprehendit Socratem. 1. Quòd magistratus perpetuitatem instituerit, quæ seditionū sit causa: indignè siquidem ferunt etiam plebeij & abiectissimi quique, nedum fortes & generosi, eisdem semper magistratibus præesse. Atque hoc quidem voluisse Socratem Platicum, si non expressè, & disertè, saltem per consequentiā, declarat ex eo quòd l. 3. de Republ. Plato tria hominum genera esse doceat: quorum primò Deus aurum à primo ortu instillet ac misceat, id est, animos perfectiores & diuiniore infundat, eosque sic ad semper imperandum, tanquā perpetuos principes destinet; Secundo argentum, id est, mediæ cuiusdam perfectionis animos, quales futuri sunt iustitiæ ministri & adiutores, seu milites & propugnatores. Tertio denique æs & ferrum, id est, animos mercenarios & populares, vt iis qui futuri sunt opifices & agricolæ. Sic enim manifestum est voluisse Platicum Socratem, alios semper imperare; alios semper obtemperare, cū quæ à primo ortu tributa sint hominibus, ea semper maneant; neque nunc his, nunc aliis, sed iisdem semper

Bona vsum debent esse communia, non absolutè.

aurum sit à Deo donatum. Quod tamen insignis est erratum in republica, quæ vexari ac perturbari seditionibus solet; nisi subinde magistratus commutentur, aut ciues publicorum honorum fiant vicissim participes. 2. Reprehendit eundem Socratem, qui totam rempublicam & ciuitatem faciat beatam, partes autem seorsim sumptas, vt agricolas, custodes, imò & principes propria spoliet beatitudine. Absurdum enim est totam ciuitatem esse beatam, cuius partes non sint beatæ. Ex his concludit, Politicam Socratis plenam esse incommodis & difficultatibus.

Ad Cap. sextum.

Differit in alterum reipublicæ genus à Platone libris duodecim de legibus descriptum. Hactenus enim primum genus impugnavit. Exponit ergo in primis summam doctrinam Platicam librorum decem de republica. Vbi arguit Platonem, qui multa necessaria de ciuium disciplina & studiis prætermiserit, & parergis libros suos impleuerit. Duobus enim primis de Republica, Iustitiæ bona & vtilitates narrat; Septimo de Philosophia & Ideis agit, Octauo & Nono de rerum publicarum mutationibus. Decimo de expellendis vrbe poëtis, præmiis rectè factorum, animæ immortalitate. Reliquis, nempe Tertio, Quarto & Quinto, & sub finem Secundi de Reipublicæ descriptione. Ait verò hoc loco Aristoteles Platonem in persona Socratis diuidere, τὸ πλῆθος ἢ οἰκουμένων, multitudinem incolarū siue ciuium, in principes siue Rectores vel Magistratus; in adiutores siue milites; & in opifices, agricolas, mercatores: quæ tria personarum genera vocauit Plato, βουλευτικόν, ὀπικουρικόν, χηματιστικόν. Obseruat deinde Aristoteles, Platonem libris de legibus prolixum esse in legum constitutionibus enarrandis: de ipsa autem Republica, id est, de ciuitatis descriptione, pauca enotasse. Cæterum reipublicæ Platicæ genus alterum, quod libris de legibus explicatum est, ad primum illud quod libris de republica traditum fuit, paucis exceptis reuocari. Cōmunitatem enim improbat Plato libris de legibus, & de sodalitatibus & armatorum numero aliter statuit, quàm libris de Republ. His quippe vult esse easdem in ciuitate virorum & mulierum sodalitates, eosdēque conuictus & mensas; itēque esse milite armatos: illis verò alias sodalitates explicat, statuitque debere alia mensa vti viros, alia foeminas, alia pueros & propinquos; item esse quinque millia armatorum in ciuitate: sed reliqua omnia sunt eadem. Esse verò in secunda Platonis republica, vt & in prima suos nauos, vitia & incommoda: & licet Plato in Socraticis sermonibus videatur egregius, elegans, & nouæ doctrinæ,

Refellitur altera Platonis Respublica.

ac quæstionum affectator; non tamen eum rectè omnia definire & explicare, vt vel ex illo otiosorum numero sanè quàm nimio, & multò etiam ampliore, quem illo posito oportet necessariò constituere, mulierum & famulorum. Ad tot enim & tantos capiendos & enutriendos vix satis esset Babylonius ager, qui totum alioquin Assyriæ regnum complectebatur. Itaque hoc modo regnum potiùs quàm ciuitas vna exurgeret. Præclara igitur, καὶ ἡ ἐν χυλῷ, Plato supponit, sed quæ fieri non possunt, ἀδύατα. Recitat postea Aristoteles & redarguit alia vitia eius reipublicæ, quam Plato libris de legibus describit: vt quòd ciuitatem suã ab externis & hostibus non satis tutam præstiterit, nullam rationem vicinorum habuerit; agrum iusto minorem, nec satis amplum & feracem delegerit, malè & iniquè agri partes exæquauerit; liberorum procreationem, ciuiumque multitudinem indefinitam relinquens, discrimen imperantium & parentium præterierit; nec aliter differre debere magistratus ab iis qui parent, docuerit, quàm stamen, τὸ σπινθύνιον, (quod ex meliore & firmiore lana fit,) à subtegmine, ἀπὸ τῆς κροκόνης, quod ex molliore conficitur. Item duas domos, vnam in media vrbe, alteram in extrema à ciuibus habitari præceperit. Hoc enim molestissimum. His ita expositis docet Aristoteles rempublicam illam secundam Platonis non esse optimæ proximam, quia constat Democratia & Tyrannide, quæ sunt formæ gubernandi pessimæ. Item quia ad Oligarchiam videatur tota inclinare; cùm illius plerique magistratus penes ditiores sint, & maximè penes ditissimos, vt ex lib. 6. de legibus intelligere licet.

Ad Cap. septimum.

Phaleæ Chalcedonij politiam examinat, quæ bonorum æquationem adstruebat, quòd ea ciuiles motus ac seditiones reprimerentur; quæ scilicet propter bonorum inæqualitatem sæpius solent excitari. Sed Phaleam arguit Aristoteles, qui bonorum modum definierit, liberorum & ciuium numerum, minimè. Hinc enim legis iniquitas manifesta est, quia alij bona sint habituri, alij non: ita vt necesse sit eam antiquari. Neque verò bonorum æqualitatem ad seditiones coërcendas sufficere docet Aristoteles, sed opus esse ait modo & disciplina, potiùsque æquandas cupiditates quàm bonum. Sed & contendere fortes & nobiles de honoribus, si eos pro suo merito non obtineant, & si indigni iis exornentur. Sic enim apud Homerum conqueritur Achilles, Vlixi, se cæteris longè fortiorem, paria tamen præmia ferre ab Agamemnone. Iniustum quippe videtur, si

Fortis & ignauus parili afficiantur honore.

Æquatio igitur bonorum & honorum non omni ex parte iusta est & laudabilis. Sed & nihil definiuit Phaleas, de præsidio & copiis aduersus externos, remque militarem, & bonorum abundantiam neglexisse videtur, quæ duo magni sunt in Republica momèti.

Ad Cap. octauum.

Hippodami vitam morésque primò describit; Tum eius Politica instituta refert ac expendit, quæ erant eius modi. Debere ciuitatem decem hominum millibus constare. Eandem oportere in tres partes diuidi, siue in tres hominum ordines, nempe artifices, agricolas, milites. Agrum etiam in partes tres; Sacram, quæ ad deorum cultum; Publicam siue communem, quæ ad alendos milites; Priuatam, quæ ad agricolas pertineret. Legum etiam tria debere genera constitui, cùm iudicia de tribus tantum fieri soleant; nempe de iniuria siue contumelia, damno, & morte: quorum primum est contra famam siue bonum honoris; secundum, contra opes & bona fortunæ; tertium, contra vitam & bona corporis. Item debere vnum quoddam principale δικαστήριον, siue supremum tribunal ac iudicium, in Republica institui, quod sit maximæ auctoritatis; ad quod scilicet vt ad optimum, fiat à minoribus iudiciis prouocatio. Quod hodie fit in Gallia: in qua litigantes & condemnati ab inferiore & subalterno, vt aiunt, iudice, appellant, prouocantque ad superiorem magistratum; tandemque ad supremum Senatuum, vt ad κρείον δικαστήριον, à quo non liceat amplius prouocare. Præterea debere in foro iudiciali sententiam ferri, non δὲ ἡγοροποιίας, per calculos, sed per πινάκιον; tabellam; in qua scribatur absolutio, vel condemnatio, vel moderatio aliqua iudicij. Ad hæc debere præmia publicosque honores ijs decerni, qui vtile quidpiam Reipublicæ inuenerint. Liberos etiam eorum, qui pro patriæ defensione in bello occubuerint, publicis sumptibus esse alendos. Magistratus quoque omnes à populo eligendos: Populi autem nomine tres illos ordines, nimirum artifices, agricolas, & milites intelligendos. Denique electos ἐπιμελητῶν κοινῶν; καὶ ξενικῶν, καὶ ὀρφανικῶν, debere curam habere rerum communium, peregrinarum, & pupillarium, quæ scilicet ad pupillos parentibus orbatos spectant. Ex his igitur institutis nonnulla reprehendit Aristoteles, vt quòd agricolas, & opifices fecerit Hippodamus partes Reipublicæ, siue veros ciues. Sic enim oporteret eos ciuitatis honoribus & magistratibus exornari; cùm honorum participatio sit veri ciuis præcipua nota, vt infra docebit: At absurdum est & indecorum opifices & agricolas gerere magistratum: præsertim

Leges Hippodami.

Vox Gallica, la Cour, est à voce Græca; τὸ κρείον;

Viri ciuis nota.

Lib. 3. Polit. cap. 1.

Lib. 5. de legibus.

Agit contra Phaleam reipub.

μᾶλλον δὲ τὰς ἐπιμελητῶν κοινῶν, καὶ ξενικῶν, καὶ ὀρφανικῶν.

Iliad. 9.

cum eos armis orbauerit Hippodamus. Sed & agricolæ inutiles sunt ciuitati, eo modo quo eos instituit Hippodamus; cum eos voluerit suos priuatim agros sibi habere, eosque colere, non militibus, sed sibi. Reprehendit etiam Aristoteles illam agri diuisionem. Quis enim erit tandem qui publicum agrum colat? Non ipsi milites. Sic enim essent agricolæ, quod non vult Hippodamus: Non opifices, quia suis vacant officiis: Non agricolæ, quia suos habent agros sibi excolendos. Reprehendit præterea tabellarum vsum in iudiciis ferendis, præsertim tertiæ, quæ moderationem iudicij afferret; hinc enim tolli discrimen inter iudicem & arbitrum: & magnam induci sententiarum confusionem. Denique illud de præmio nouæ inuentionis institutum improbat, quod calumniarum fons & causa esse possit. Sic enim vetera accusarentur ab aliis, ab aliis verò noua reprehenderentur. Item daretur occasio mutationis Reipublicæ, si videlicet præmium decernatur noua instituta inuenientibus. Si enim noua recipiantur, vetera vt abrogentur necesse est. At periculi plena est veterum institutorum mutatio:

Ennius.

Moribus antiquis stat res Romana virisque.
Hoc loco de legum & morum mutatione differit Aristoteles in vtramque partem, statuit verò nullas leges siue scriptas, siue non scriptas, licet aliquid incommodi contineant, quod tamen sit leue, abrogandas aut mutandas esse. Nisi fortè leges sint manifestè stolidæ & barbaræ.

Mutatio legum periculosa.

Ad Cap. nonum

Statuit, initio in examinandis Politicis institutionibus, videndum esse prius, an ea optimæ regiminis formæ consentiant, an non: deinde an ipsæ consentiant, an repugnent sibi? Hoc posito, docet, omnes Politicos in eo conuenire, vt dicant ad optimam Rempublicam oportere ciues ab omnibus ministeriis necessariis, vt agrorum cultura, & illiberalibus, sordidisque artibus ac opificiis liberos ac immunes esse. Sed de ratione ac modo quo commodè id fiat, valde esse difficile & inter multos controuersum. Hinc occasionem sumit, Rempublicam Spartanam, siue Lacedæmoniorum incessendi, cuius hoc primum vitium notat, quod peregrinos ad artes mechanicas & opificia cogere; Ilotas verò, seruorum genus, ad agros colendos, aliæque ministeria. Ex hoc enim instituto, seruorum & opificum seditiones oriri: licet ob quasdam causas in Creta tales seditiones non moueantur. Tum eiusdem reipublicæ secundum vitium reprehendit, quod licentiosius se gererent Lacænae mulieres, vnde intemperantia, luxuria, auaritia. Quo loco ait, gentes bellicosas esse *γυναικων ατρουρίας*, mulierum

Agit contra reipublicam Lacedæmoniorum.

Quæ gentes mulie-

potestati subiectas, præter Celtas, id est, Gallos & Germanos, & si qui sint alij præposteræ ac profus nefandæ veneri (quam hic vocat, *τὸν αἰὲς τὸν ἀπείρατον αὐρακίαν*,) indulgentes, vt Thebani & Cretenses: quos etiã masculam venerem coluisse refert Sextus Empiricus. Tantum enim abest vt Galli suis vxoribus seruiant, viri alioquin bellicosissimi; quin potius in eas, tanquam in seruos, ius vitæ & necis habuerint, vt ipse Iulius Cæsar disertis verbis testatur in bello Gallico. Non pigebit hinc annotare egregium cuiusdam Lacænae acutum apophtegma, quæ teste Plutarcho, cum à peregrina quadam interrogaretur, cur solæ Lacænae viris imperarent, respondit, *Quia solæ Lacænae viros pariunt.* Sed quam ob causam bellicose gentes fere vxoribus pareant, dignum est inuestigare. Huius sanè rei causa duplex est. Prior, quod viris bello occupatis, & à domo sua absentibus, vxores licenter se gerant domi, œconomiam arripiant, & domesticum imperium sibi facillè vendicent: posterior, quod viri bellicosi in Venerem sint procliuēs & vxorij. Hinc obseruat Aristoteles, Mythologos non temerè Martem & Venerem coniunxisse. Hinc & fortasse Lacedæmonij ad Venerem & bellum propensi, Venerem armatam (Pausanias lib. 3. Lactatius lib. 1. instit. Christian.) coluerunt. Sunt autem viri bellicosi in Venerem procliuēs, quia fortes sunt & robusti, vt pote copia sanguinis, spirituum, & caloris innati abundantes.

Sodomites, Celta, Thebani, Lib. 3, Pyrrhon. Hypotypos.

Lib. 6.

Cur bellicosi pareant vxoribus.

Quæ bello est habilis, Veneri quoque conuenit ætas: Ovidius.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Postea aliud vitium Spartanorum accusat, in bonorum diuisione; quorum pars maior cessit mulieribus. Item reprehendit Ephoriam siue magistratum Ephorum, quod Ephori etiam è plebe eligerentur: quod iis Reges fere subiicerentur, ob nimiam ipsorum Ephorum potestatem. Reprehendit & Senatum, (quem vocabant *γεροντας*, vt Senatores *γέροντες*,) eo quod essent Senatores perpetui, & vsque ad ætatem decrepitam: quod vitiosum est, cum mens & prudentia in ea ætate langueant. Improbat & regnum Spartanorum, quod non ex virtute deferretur, sed esset hæreditarium. Damnat etiam sumptus publicorum conuiuiorum, quæ Lacedæmonij *φιλία* vocabant, quasi *φιλία*, amicitia efficientia; nempe quia non de publico, sed de priuatorum bonis & collationibus fierent. Sed & classis Spartanæ præfecturam perpetuam reiicit, vt causam discordiarum: cum illa videatur esse quoddam alterum regnum. Perstringit etiam Lycurgi consilium vt iniquissimum: quod erat de Imperij ac dominatus prolatione & continuo incremento. Eo enim

fine

*Spartani
in bello fe-
lices, in
pace per-
diti.*

fine omnia sua instituta referebat ad artem militarem. Vnde factum est, ut quandiu pugnarent Lacedæmones, tamdiu incolumes essent & florentes; sed Imperium nati, quia nullas pacis artes & studia nossent, superbia, luxu, insolentia & seditionibus inter se perierunt. Denique & hoc Spartanæ Reipublicæ peccatum accusat, quod nullum in ea esset publicum ærarium, ad belli sumptus necessarium.

Ad Cap. decimum.

CRetensem Rempublicam Spartanæ affinem expendit, eiusque vitia aliquot notat: ubi obiter Minois nefandum aperit consilium de masculorum concubitu, quem Minos permiserat, ut relicto mulierum usu, sicque sublata liberorum procreatione, pauciores essent ciues, iisque tenuis ager sufficeret. Docet verò Ephoris Spartanis similes fuisse Cretenses Cosmos, sed hos è certis familiis eligi solitos, illos promiscuè ex omni populo. Esse autem idè fere apud Cretenses Senatores vitium, quod in Spartanis, nempe perpetuitatem, atque à referendis rationibus immunitatem. Interim malè Cretensem Rempublicam Cosmos suos abdicare, quippe quæ vel eos facto impetu eiciat, vel ipsis potestatem faciat, se vltro & ad arbitrium suo magistratu abdicandi. Quorum neutrum videtur consentaneum. Illud enim factionem redolet; hoc autem non est tutum præceptum, certave regula; cum ex voluntate & arbitrio cuiusque pendeat. Concludit, pessimum Politicæ Cretensis vitium esse potentiorum petulantiam, qui ciuium multitudinem distrahunt, & cum iudicia subire, aut pœnas dare nolint, inter se digladiantur. Vnde fit ut non tam respublica sit, quàm factio siue *κωσμος*. Porro Cretensem Rempublicam saluam & incolumem manere; non per se, id est, propter bonam illius administrationem qua caret, sed ex euentu; nimirum ratione situs & loci. Cum enim à continente sint diuisi, non ita metuunt ab externis hostibus, qui ab ipsis, interiecto mari, maximè distant. Quæ causa est quod pericæci, id est, serui, vel rustici Cretensium in officio suo contineantur, neque conspirent in dominos cum hostibus nimium remotis; quod tamen Ilotes sæpius in Spartanos faciunt, propter hostium vicinitatem. Est igitur insignis iste locus de vrbis siue regionis situ, qui causa est conseruationis & incolumitatis ex euentu. Quæ causa hodie Veneti, Heluetij, & Angli conseruantur. Sed non patitur institutæ Synopses ratio me in his notis esse prolixior.

Ad Cap. vndecimum.

Rempublicam Carthaginensem, Cretensem, & Spartanam laudat tanquam affines & omnium sui temporis celeberrimas;

sed maximè Carthaginensem: quæ licet sit popularis, permaneat tamen *ἐν τῷ τότῳ ἔπιπολιτίῳ*, in ordine suo Politico: sine seditione vlla, sine tyrannide: quod argumentum est præclaræ institutionis. Ait igitur similem fuisse Carthaginensem Spartanæ, quod ut in hac erant Phiditia; sic in illa essent sodalitates siue collegia Magistratuû, vel ciuium, opificum, mercatorum. Item ut in Spartana Ephori, sic in Carthaginensi centum quatuor viri, illis si non creâdi modo, saltem potestate & imperio pares. Tertio, ut Lacedæmone reges & *ἡγεμόνες*; sic Carthagine fuisse reges & senes. Hoc tamè Spartanam Rempublicam à Carthaginensi superari, quod in illa reges ex vno eodemque Heraclidarum genere essent, iure hæreditario: in hac verò ex pluribus familiis, iisque præstantioribus & virtute clarissimis eligerentur. Hoc loco præclaram de committendo imperio interferit sententiam, non esse plebeis & humilibus viris magna Imperia committenda, cum sæpius noceat, ut ex Spartana Politia probat, quam Ephori è plebe assumpti perdidit:

*In ordine
permane-
re, signum
est præcla-
ræ institu-
tionis.*

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum. Notat postea Aristoteles vitia duo Carthaginensi Reipublicæ propria. Prius, quod quædam eius instituta Oligarchica fuerint, ut electio quinque virorum à centum viris; & prorogatio siue continuatio magistratum. Iidem enim semper erant centum viri, qui etiam post fiebant Quinque viri: quædam Democratica, ut quod populus potestatem haberet examinandi Senatuf-consulta, & regum decreta, eaque probandi, vel improbandi. Posterius, quod vni eisdemque, eodem tempore, plures ac diuersi magistratus mandarentur. Satius enim est vnum ab vno geri, & singulos à singulis, præsertim cum magna est ciuitas, virisque abundat idoneis. Veruit Plato ne quis multas artes vnus exercent:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Aliud iudicium est in parua & in frequenti ciuitate. Quæ de re lib. 4. Politic. dicitur fusiùs.

*Lib. de
Republ. in
Erastis.*

Ad Cap. duodecimum.

Hactenus ferè de priuatis legum scriptoribus, siue rerum publicarum auctoribus. Sunt verò præter hos alij legislatores, qui ipsi Politici fuerunt, & rempublicam administrarunt, suisque, vel aliis ciuitatibus iura legesque dederunt, ut Minos, Lycurgus, Solon. Sed cum de duobus primis etià suprâ dixerit, nunc de Solone, & Atheniensium Politia ab eo descripta differit. Ait ergo laudatum fuisse Solonem, quod Oligarchiam & paucorum tyrannidem sustulerit, & æquabiliore ac temperatiore facta Republica, institutisque partim Oligarchicis, ut Senatus Areopagitici creatione, qui

*Solon lau-
datus, cur.*

*Horribile
consilium
Minois.*

*Cretensium
Rempubli-
cam refu-
rat.*

*Pericæci
qui.*

*Idem vi-
superatus,
cny.*

ex selectis viris, & qui prius magistratu aliquo functi essent, constabat; partim Aristocraticis; ut magistratum designatione per suffragia, non per sortes, qua de re lib. 4. partim Democraticis, ut populi iudiciis, fundata & reformata, populum in libertatem vindicauerit: Eundem verò vituperatum, quòd nimiam populo tribuerit in iudiciis potestatem, in quibus scilicet omnium pæne rerum potestatem esse voluit. Sic enim Demagogi, quales fuere Pericles, Ephialtes, & alij, populo blandiri studentes, Principum auctoritatem minuebant, Areopagum labefactabant, & deterrimam Democratiam, populi potentiam amplificando, inuehebant. Solonem tamen excusat Aristoteles, imò & eius institutionem commendat, ut probam & laudabilem, qua inter cætera, nullam ferè potestatem infimæ plebi fecerit, nihilque cum illa præterquam necessaria cõmunicarit. Recidisse verò Atheniensem Rempublicam in extremam Democratiam, non culpa Solonis, sed casu quodam: eo quòd scilicet populus Atheniensis, Medorum & Persarum in nauali certamine ad Salaminem celebri victoria elatus & superbiens, magnam sibi auctoritatem, rerumque summam attribuerit. Nominat postea Aristoteles alios Nomotheas; Zaleucum, qui Locris Epizephyriis populo Magnæ Græciæ, scripsit leges; Charondam, qui Siculis & Italis; ita tamen ut seuerus præcipuè fuerit in falsos testes; Onomacritum, qui in Creta versatus est; Philolaum, Thebanorum legislatorem, qui *παιδείαν*, siue *παιδων διδασκαλίαν*, adoptionem instituit, & bonorum inæqualitatem: Platonem, qui communitatem vxorum & bonorum; sodalitates mulierum; sobrietatem Symposiarum induxit: & milites præcepit esse ambidextros *ἀμφιδεξιῶν*: Draconem, qui nimia seueritate adductus, delictis ferè omnibus pœnam capitale indixit. Vnde leges illius non atramento, sed sanguine scriptas esse dicebat Demades, ut refert Aristoteles lib. 3. Rhetoric. Quas tamen omnes excepta ea quæ de homicidio erat, Solon abrogauit. Pittacum, legum quidem auctorem non Reipublicæ administratæ, *νόμων δημιουργόν, ἢ πολιτείας*; qui cum esset vnus è Græciæ sapientibus, hanc legem proposuit, ut ebrij qui hominem pulsassent, & iniuria affecissent, duplione multarentur, id est, ut duplo grauiores pœnas darent, quàm si non ebrij pulsassent. Denique Androdamam Rheginum Italum, Chalcidensium Thraciorum legislatorem, qui nullas leges proprias & peculiare tulit. Sic claudit Aristoteles librum secundum.

*Draconis
leges non
atramento
sed sanguine
scriptæ.*



APPENDIX NOVA

AD LIBRUM SECUNDUM
Politicoꝝ.

Quæstiuiculas complectens selectiores.

*Debeant - ne omnia in ciuitate esse
communia?*

QVÆSTIUNCVLA I.

Affirmat Plato libris de Repub. passim vbi statuit in optimè instituto imperio, coniuges, liberos, bonaque omnia debere esse inter ciues omnes sic cõmunia, ut eiusdem ætatis iuuenes, se tanquam fratres agnoscat, amentque; eos autè qui natu sunt maiores, loco parentum habeant, obseruentque: alios verò minores natu æstiment diligantque qui seniores sunt, ut filios: omnes vero omnia sic possideant, ut dicere meritò possint meum, & non meum.

Hanc Platonis sententiam hinc confirmari posse aiunt Politici quidam, quòd si ea ciuium communitas instituat, futurum sit, ut ciues communia tanquam propria, magis curent, se mutuo amore ardentius prosequantur, fiant magis concordēs, aduersa alacrius & fortius repellant, vtilia diligentius comparent, imperium firmiter faciant, minusque mutationi obnoxium. Item quòd hæc communitas Platonica videatur à Deo profecta, & lege naturæ. Natura enim est æqua parens omnium, Deus communis pater, & dum ad naturam Deumque referimur, omnes sumus fratres; imo & visum est Deo, fratrum communi nomine omnes homines deuincire, ut ex litteris sacris constat. Sed & huius communionis primus author non fuit Plato, quidquid dicit Aristoteles cap. 7. lib. 2. Polit. cum Dionysius Halicarnassæus, Strabo & Herodotus testentur eam multis ante Platonem, sæculis alibi floruisse; ut apud Massagetæ Scythiæ populos, ultra mare Caspium. Refert etiam Atrianus Brachmanas sapientes Persarum communibus vxoribus vfos fuisse, & notauit Pomponius Mela Garantias interioris Indiæ populos omnia habuisse communia. Denique communitates rerum & bonorum, si non vxorum, à Christianæ religionis institutionibus non videntur alienæ; cum religiosorum hominum ordines, ac societates eam etiam effuso sanctiore voto amplectantur & obseruent.

Aristoteles verò hanc vxorum, liberorum, rerumque omnium communionem improbat à cap. 2. ad 6. huius libri, atque in
cq

eo allucinatum fuisse Platonē docet, quòd ciuitatem facere voluerit summè vnam: cum tamen summa vnitas repugnet ciuitati, quæ essentialiter est multitudo & societas hominum specie Politicâ, id est vitæ conditione & statu differentium; quæ etiam rerum varietatem & copiam requirat. Et certè quisquis eo modo ciuitatem maximè vnam efficere studet, idem facit ac si ex multarum vocum concentu & harmonia vnica vocem & sonum duntaxat vnum expectaret, quod planè absurdum est. Vbi enim vnica vox est, tollitur harmonia omnis, quæ vocum desiderat varietatem.

Sed & maximè Platoniam communitatem refellit Aristoteles, ex eo quòd ea inducat communis boni *ὀλιγωρίαν* siue parui factionem, aut negligentiam. Item amoris coniugalis, paterni, & filialis remissionem, ac imminutionem. Præterea det eadem communitas locum parricidiis, incestibus, aliisque criminibus, quæ ob personarum ignorationem facilè & impunè fierēt. Item ex eadem communitate sequitur graue incommodum, vt quòd fortiores, & studiosiores & sapientiores non plus acciperent, quàm ignaui, inertes, & imperiti. Tollere- tur etiam voluptas dominij & propria possessionum prohiberetur continentia & liberalitas; denique honor, amicitia & reuerentia propriis parentibus debita extinguerentur: quæ mala grauissima sunt, & societati humanæ inimica ac perniciosa.

Plato itaque pro suo more modòque philosophandi per ideas fortè optimam simpliciter & absolutè reipub. formam verbis descripsit, atque animo concepit, sed eam optauit potius, quam inuenit: quippe quæ talis inter homines nunquam fuerit constituta, neque possit debeatve constitui. Sit ergo Platonis respub. idea Platonica, quam facilius sit mente excogitare, quàm fructuosè stabilire.

Enimuerò Aristoteles meliùs & prudentius, vt solet, formam reipub. instituit, secundum vitæ humanæ modum & condiciones: qui nempe cõmunitatem eam dānauerit, quam mores hominum facilè non patiuntur. Inde est quod dixerit Plato 5. & 6. de repub. difficillimum esse reipub. suæ formam assequi? Et lib. 9. eam non extare in terris, sed eius ideam & exemplar in cælo esse cõspicuum ei qui intueri voluerit, & se ipsum ad illud instituere. Vnde libris de legibus, vbi ad vsum vitæ suæ traduxit instituta, illam sustulit communitatem, tãquam impossibilem, statuitque eatenus communionem inducendam esse, quatenus humanæ vitæ conditio ferre possit.

Ex quibus apparet potiore esse sententiam Aristotelis, politicè loquendo & secundum communem vitæ vsum, non enim

hic mentio est de religiosis institutionibus, quæ ciuilem vitam transcendunt ac superant; neque verò communia habent multa, vtpote vxores, quibus non vtuntur ob votum castitatis, itaque argumentum inde petitum vt & à Christianis moribus & institutis non est ad rem.

Est - ne iustum magistratus esse perpetuos?

QVÆSTI VNCVLA II.

Affirmat Plato l. 3. de Repub. imitatus Hesiodum vt ipse ait in libris de legibus: distinxit enim Plato vt notauit Aristoteles cap. 5. lib. 2. Politic. tres hominum ordines; Quorum primo ait Deum statim ab ortu suo animos aureos siue aurum instillasse, & hos quidem esse principes, natos ad dominandum: Secundo argentum, & hos esse adiutores & ministros Principum: Tertio æs & ferrum; & hos postremos esse mercatores, agricolas, artifices. Quo commento significabat homines alios aliis esse præstantiores, ingeniosiores, ac meliori indole natos. Vnde cum natiua indoles toto vitæ tempore perseveret, voluit etiam eosdem semper principes & magistratus debere in republicâ permanere. Sed & ratio Platoni fauere videtur, temporanei enim & fugaces magistratus vt semestres, vel annui, non tam peritè foelicitèrque geruntur, quàm si diuturniores essent, aut perpetui; cum longior experientia & vsus prudētiam afferat maiorem: quare quòd breuiores erūt magistratus, eo respública infœlicius geretur, fabricando enim fabri fimus. Expedit etiam magistratus esse perpetuos: quod scilicet natura ipsa doceat, quæ æterno & immutabili vnus Dei imperio gubernata, foelicitissimè subsistit & vno eodèmq; ordine administrata præclarissimè viget & conseruatur.

Repugnat tamen Aristoteles Platoni, improbatq; perpetuitatem magistratum, tanquam noxiam Reipub. c. 5. lib. 2. & cap. 8. lib. 5. Politicorum. Idque duas potissimè ob causas: prior est, quòd aliis præcludatur etiam dignis via ad honores, vnde seditio- nes excitantur, maximè ab ambitiosis & excellentibus viris, qui se contemptos vident: posterior, quòd insolentiores reddantur ipsi magistratus, & hac perpetuitate freti suæ dignitatis, sæpius inuadant tyrannidem; quod de Iulio Cæsare Cicero testatur, qui propter propagatum in Galliâ imperium, priuatus postea viuere nescius, inuasit rempublicam, seque tandem summum fecit Dominum ac Imperatorem.

Putamus tamen distinctione vtendum esse, in Democratia siquidem & populi po-

testate satius videtur magistratus certo tēpore definiri, vt alij alijs succedant, & omnes vicissim honoris sint participes, in aristocratiā verò & monarchiā non adeo confert. Cum in illā optimi quique ac selectissimi, in hac vnus debeat dominari. Hoc tamen certum debere inter ceteras dignitates, regiam maximè perpetuam esse: quippe quæ sit fundamentum & firmamentum imperij, à quâ, vt à corde, quod primum viuit, vltimum moritur, omnis potestas virtusque in politicos magistratus effunditur. Quanquam & interdum vtile est, nonnullos magistratus esse perpetuos, cuius rei iudicium prudentiæ gubernantium omnino relinquendum est; qui in omnibus, reipub. ordinem, mores, merita, ingeniâque ciuium, & publicam pacem considerare debent attentius ac explorare diligenter.

An agri publici portio debeatur sacerdotibus.

QVÆSTIVNCVLA III.

Agrum Reipub. diuidi voluit Hippodamus Milesius in tres partes; sacram, quæ ad sacerdotes; publicam, quæ ad milites, & priuatam, quæ ad agricolas pertineret: vt constat ex cap. 2. huius libri. Hoc modo ius Romanum diuisum fuisse aiunt Quintilianus cap. 4. lib. 2. & Ausonius, qui sic cecinit. *Ius triplex, tabula quod ter sanxere quaternæ sacrum & priuatum & populi commune quod vsquam est.*

Quæritur an iustum sit partem aliquam agri reipub. concedere sacerdotibus, id est iis hominibus, qui ex officio rebus sacris & diuino cultui vacant. Enimverò nihil iis deberi hinc fortè quis concluderet, quòd ager ciuitatis solis ciuibus, vel partibus ciuitatis iure debeatur, sacerdotes verò non sunt ciuitatis, nec propriè ciues. Cum eorum vita politica non sit, aut actiua; sed potius segregata, contemplatiua, & addicta pietati. Deinde etiam, quia possessio & cura bonorum, rerumque humanarum, repugnare videtur contemplationi, officiisque diuinis; quæ otium ac quietem perpetuam requirunt, hæc enim animi pax & tranquillitas communibus negotiis distrahitur & rerum possessione interpellatur; sed infirmæ sunt hæc rationes.

Prior quidem, quia licet strictè loquendo, sacerdotes propriè non sint ciues, vt qui negotiis vulgaribus foròque politico primò ac per se non vacent, sed rebus tantum diuinis: tamen sunt re verâ meliores & sanctiores ciuibus, primasque tenent inter ordines hominum vt pote Deo consecrati. Sic in Galliâ primum ordinem hominum

dicimus esse Clerum, vel Ecclesiasticorum; Secundum, nobilium; Tertium, populi siue vt vulgo dicitur, tertium statum: quo ipsi etiam iudices, politici & senatores continentur. Igitur sacerdotes eo modo partem ciuitatis facient, eamque præstantissimam, habitâ scilicet ratione diuinorum officiorum, quibus incumbunt: & quatenus in arce religionis excubias, vt sic dicam, agunt pro regni & reipub. incolumitate & salute tam corporum quàm animotum. Posterior autem nihil efficit. Possunt enim sacerdotes sibi quosdam procuratores adsciscere ad rerum suarum custodiam & curam, quam etiam ipsi sine molestiâ possent suscipere, cum de conseruandis tantum bonis ecclesiasticis, non in immensum, vt homines politici faciunt, amplificandis, aut quæstiuoso ac profano lucro acquirendis, debeant cogitare.

Est igitur æquissimum Hippodami institutum vt sacerdotibus agri portio concedatur ad necessarios vite vsus ad sacrorum impensas. Quod certè sunt sequuti olim Ægyptij, Lacedæmonij, Romani & aliæ gentes vetustissimæ, vt constat ex historiis: imo & Deus ipse Numerorum ca. 35. præcepit filiis Israël, vt Leuitis sacra tractantibus certas possessiones destinarent. Præcipe filiis Israël, inquit Dominus Deus Mosen alloquens, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, vt ipsi in oppidis manent, & suburbana sint pecoribus ac iumentis. Fauet ratio, optimis enim viris & doctissimis, quales ferè sunt sacerdotes, debentur meritò fortunæ bona, ad victum & vestitum, imo & ornatum: Diuitiæ enim animi bonis debent famulari, ex lib. primo Ethicæ. Secundò deterioris essent conditionis viri sancti in ciuitate, quàm opifices, aut agricolæ, quibus pars agri est destinata. Tertio beatior hinc & splendidior est reipub. Deoque gratior; essetque profectò genus humanum ingratißimum, si Deo auctori & largitori bonorum omnium, eiusque ministris nihil redderet aut consecraret. Imo & id de iure naturæ esse omnino videtur, vt Deum Dominum agnoscentes gratias agamus, oblati, imo redditis quæ ei debemus, bonis ac muneribus, sicque ei seruiamus in sanctitate & iustitiâ, vt cecinit Zacharias.

An omnia iudicia sint de iniuriâ, damno, & morte.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Affirmat Hippodamus loco citato & rectè, læditur enim quisque vel in bono

bono honoris, id est famâ & existimatione, vnde iudicium cōtra τὴν ἰδέην iniuriam factam; vel in bonis fortunę, vnde iudicium contra damnum illatum τὴν βλάβην, vel in bonis corporis & vitę, vnde iudicium contra θάνατον, mortem, sine homicidiū; ad quod pertinent verbera, percussiones, mutilationes: sunt ergo omnia iudicia de his tribus; cum læsio omnis ad iniuriam, ad damnum, & ad mortem, non ad alia referatur. Hinc est quod constituta fuerint pœnarum generatim, nempe ignominia, multa & mors, pro læsionis diuersitate. Sub pœnâ autem mortis continentur flagella, fustes, præcisio manuum, & similia supplicia, quę innocentes sotesve irrogantur pro gravitate criminum, aut delictorum iuxta illud sacra Scripturę, pro mensura delicti erit plagarum modus.

An in Republicâ summum quoddam tribunal debeat constitui?

QVÆSTIVNCVLA V.

Est & hoc celebre Hippodami institutum, vt in republicâ bene moratâ supremum aliquod consistoriū quod vocabatur *δυσσητορ*, illudque vnum erigatur, atque ex selectis senioribus, virisque consultissimis componatur: ad quod tanquam ad optimū & sanctissimum iustitię tribunal, sacręque Themidis anchoram fieri possit prouocatio ab inferioribus & subalternis iudiciis. Quale consistorium hodie vulgo apud nos dicitur Curia Parlamenti, siue senatus, ad quem, non à quo, liceat prouocare, siue vt aiunt, appellare.

Esse igitur constituendum tale tribunal, hinc patet: quod interdum contingere possit vt inferiora iudicia, fauore, pecuniâ vel muneribus corrumpantur, & à iusto deflectant: vel ob imperitiam non satis accuratę ac prudenter causas expediant: quos defectus summus ille Senatus emendet & lites meliore iudicio postremum definiat. Deinde consentaneum videtur, vt sicut in regno vna est persona summę authoritatis, aliis omnibus simpliciter maior, nempe rex omnium dominus: sic vt vnum aliquod extet supremum consistorium *ἄριστον ἐν δυσσητορ* vocat Hippodamus in textu, quod regiam maiestatem & authoritatem repręsentet: & à quo extrema iudicia dependeant. Sed & id ipsum diuina lex in sacris litteris sanxisse videtur, his verbis. Prouide autē, inquit Deus Mosen alloquens Exod. 18. de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex iis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudi-

cent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent. Huc pertinet appellatio Diui Pauli Actorum 25. Qui scilicet à Festo iudice condemnatus, ad Cæsarem prouocauit, hac verborum formulâ, Cæsarem appello, cui respondens, cum Concilio Festus, Cæsarem appellasti, inquit, ad Cæsarem ibis.

Obijcies ex summo tribunali & senatu constituto sequi contemptum inferiorum iudiciorum. Respondeo hoc esse per accidens, neque senatores institui in contemptum iudicium inferiorum: sicut nec creata maiora sydera ad minora obscuranda, sed ad maiorem iustitię exactioris perfectiorem ac decus; vt si quid in minoribus subfelliis decretum fuerit inconsideratius contra litigantes, id maturius in superiore tribunali disquiratur, examinetur, ac diiudicetur. Adde quod non licet in quauis causâ appellare, siue prouocare ad summum senatum, mulentur enim temerarię appellationes. Vnde nulla inde suboritur iniuria, nullus accidit inferturve contemptus iudicibus subalternis & inferioribus.

An scripto sententiam ferre debeat iudex, an viuâ voce?

QVÆSTIVNCVLA VI.

Viuâ apertęque vox magis afficit, ac plus potest in iudiciis quam scripta in tabellis Hippodameis sententia. Sic enim maior existit iustitię & iudicium dignitas ac reuerentia, cum palam & publicę sententię & Senatusconsulta à Pręsidibus pronunciantur. Et certę veritas, quę iustitię committatur semper, non quærit angulos, sed lucem & oculos hominum, vt notauit Aristoteles cap. 2. lib. 1. Politicorum, vocę, seu potius sermonem datum esse hominibus ad ius dicendum, & ad officia iustitię.

Obijcies, res grauissimas ciuitatum scrutinio (vt loquuntur) & tabellis in urnâ coniectis perfici: sic enim multis in locis fiunt electiones magistratuum. Ergo iudicia ferri scripto debent, ac per tabellas potius, quam per viuam vocem. Respondeo disparem esse rationem iudiciorum, & electionū. Iudicia enim vnâ iudicis voce facillē & cum dignitate fieri possunt; electio autem fit à multis eligentibus, imo à totâ ciuitate: quare cum multitudo pariat confusionem, hæc autem confusio tolli commodius possit scribendo sententias, quàm singulas pronunciando, certę in publicis electionibus satius erit agere scriptis tabellis, in iudiciis viuâ voce.

An filij eorum qui in praelio pro patriâ obierunt, sint publicis sumptibus enutriendi?

QVÆSTIVNCVLA VII.

Affirmat Hippodamus loco citato; neque improbat Aristoteles, qui legem hanc & Athenis & alibi suo iam tempore receptam fuisse testatur. Alebantur autem filij eorum qui in praelio mortui erant, in Prytaneo, qui locus erat Athenis in arce dignissimus, ubi iudices & magistratus de Republica consulebant, neque verò duntaxat strenuorum hominum in bello defunctorum filij, sed & alij qui optimè de republ. meriti erant, impensis publicis nutriebantur, quod certè erat perhonorificum. Porro dictum nonnulli putant *ἐπιταφίον* quasi *πυρρὸν ταμίον* tritici promptuarium; ut si diceres horreum reipublicæ. Esse autem hoc institutum laudabile & præclarum, hinc constat quòd sic ad virtutem & fortitudinè, patriæque amorem ciues incitentur, neque dubitent pro republica mortem oppetere, cum in liberis suis compensentur. est ergo hoc institutum gloriæ stimulus, & calcar virtutis ac incitamentum ad egregia facinora.

An publicum honorarium debeat decerni iis, qui utile quid Republicæ inuenerint.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Affirmat Hippodamus, negat Aristoteles, & rectius. Etsi enim hoc institutum videatur primâ fronte speciosum, *ἡ εὐφροσύνη*, ut est in textu: tum quia ut præmia debentur benè meritis, sic & honoraria constituentur iis, qui utile quidpiam Republicæ adinuerint. Tum quia hoc instituto summa Republicæ cura haberi videtur, eiusque gloria promoueri. Nihilominus tamen tutum non est, sed periculi plenum eo quòd *συκοφαντίας*, id est calumnias, parit *ἡ τὰς κινήσεις πολιτίας*, commotiones Republicæ, quia non facilè possunt introduci noua instituta, quin accusentur vetera; & præterea odiosi sunt & suspecti nouatores & reprehensionibus obnoxij: facilè enim ciues adducuntur ut credant authores rerum nouarum periculum aut perturbationem reipublicæ intentare: vnde si nouarum institutionum licet bonarum aut vtilium inuentoribus præmia decernantur, multi profectò de abrogandis antiquis vsibus cogitabunt, & res novas legesque spe præmij certatim inducent, vnde morum actionumque immutatio manifesta, adeoque tandem imperij ipsiusque politici status ordo, & antiquum regimen consequetur.

An patrias leges & antiquas expediat mutare in nouas meliores?

QVÆSTIVNCVLA IX.

Affinis est quæstiuncula hæc priori, sed profectò longè maioris momenti, ideoque celebris & in textu controuersa, cum pro vtrâque parte tam affirmante quàm negante disputare videatur Aristoteles. Possè enim imò debere mutari leges antiquas probat exemplo artium etiam summarum ac præstantissimarum ut Medicinæ: iis siquidem utilis fuit mutatio in legib. & præceptis, & remediis: ita ut posteriora iudicia, & decreta nouissima & remedia noua tanquam meliora prioribus derogauerint & ipsas artes perfecerint; cum veritas filia sit temporis. Et certè antiquæ leges quædam abrogatæ contrario vsu fuerunt, tanquam stolidæ & barbaræ, ut mos ille Græcorum qui accincti gladio procedebant. Item emptiones vxorum quæ exoleuerunt, inquit Aristoteles, ut si illud Ennij obijcias:

*Moribus antiquis stat res Romana virisque,
Alterius Poëtæ versum referas;*

Laudamus veteres sed nostris vtimur annis.

Et commune illud dictum *ἀντίεσι φροντίδας σφρότεροι*, secundæ cogitationes sapientiores, *ἢ πλείους σφρότεροι*. Enimvero non vetustas legis sed bonitas eiusdè communisq; utilitas cõsideranda venit: & non quâdiu lex floruerit, sed quàm benè ac prudenter sancita fuerit inquirendum. Ergo si noua lex melior & vtilior vetere & à multis annis receptâ iudicetur, illa sanè huic erit antepõnenda. Denique leges politicæ scriptæ non possunt omnia hominum facta morésq; complecti. Scribuntur enim vniuersim *ἡ κοινῶν*. At verò actiones sunt circa singularia & in singularibus ex c. i. lib. i. Metaphys. Ergo possunt imò & interdum debent sanciri & constitui nouæ leges, imò & veteres antiquari; præsertim cum antiquissima quæque sint ferè fabulosa & commentitia. Aristoteles tamen non probat mutationem legum, nisi cum magnâ religione, eautione, prudentiâ & necessitate; ratio hæc est quòd legis mutatio frequentior faciat ciues inobedientes legum ac principis atque magistratuû contemptores, cum enim videbunt innouari sæpius leges, nullius obseruationi sese seriò adstringent, quas scilicet ut alias priores ipsa ciuitas quâ primùm sit mutatura. Ideo à mutatione legum valde abhorruerunt Spartani, narratq; Plutarchus in Laconicis Apophthegmatis, Pausaniâ interrogatû, cur antiquis moribus viuerent Spartani? respondisse quòd leges viris, non viri legibus dominantur, & sapienter mouent Iuriscõsulti non esse temerè solemnia maiorû instituta commu-

tanda, imò nec rationes legum & institutio-
num antiquarum semper exquirendas, lege
non omnia, & lege minimè de legibus.
Consulendus Plato 3. & 6. de Legibus, De-
mosthenes aduersus Democraem. Iurispe-
riti etiam ad titulum de legibus, lege, non
omnium, & lege, & ideo. Imo verò inquit
Aristoteles, licet sint peccata quædam No-
mothetarum & magistratuum, ea potius fe-
renda sunt si exigua sint, quàm receptæ lo-
gestollendæ: qua de re dixi supra in expli-
catione textus. Cæterum licet artibus &
scientiis mutatio processerit in melius, id
tamen de legibus iam receptis dici meritò
posse non videtur, cum sit ratio dispar legum
& artium. Artium enim & scientiarum fir-
mitas documentis & præceptis quæ nouis
observationibus inuentisque innotescunt
continetur; legum autem vis & robur non
tam litteris vel scripto aut studio quàm usu
& moribus nititur, quare si usum & obser-
uantiam legum tollas minuasue, leges etiã
ipsas imminues ac extirpabis. Hinc rectè
Poëta Lyricus, quid leges sine moribus
vanæ proficiunt? Non sunt ergo antiquæ
leges abrogandæ, vel vlllo modo commu-
tandæ nisi sint manifestè vitiosæ, aut barba-
ræ. Vt enim mutationes temporum, aëris,
cibi, morbos generant vt constat ex doctri-
nâ Medicorum, iuxta aphorism. 1. sectionis
tertiæ Hippocratis, præsertim si repentinæ
sint; sic legum mutationes sunt ciuitatibus
periculosæ. Atque vt consuetos cibos, quã-
uis deteriores, aut non adeo delictos & sa-
lubres, gratiores tamen præferunt Medici
insuetis & melioribus, ex eiusdem Hippo-
cratis aphorismo, nempe quia consuetudo
altera natura est: sic & Politici leges anti-
quas longo ciuitatis usu receptas (quanquã
fortassis non adeo perfectas aut exactas)
nouis quibuslibet, etiam excellentioribus
debent antepone, vt quieta persistat adeo-
que salua & incolumis Respublica.

*Est-ne vanalitas Magistratum iusta
& utilis Respublica?*

QVÆSTIUNCULA X.

Absurdam credunt & Reipublice per-
niciosam magistratum vanalitem
Politici sapientiores; præsertim si absolutè
& simpliciter loquendum sit. Ratio est, quia
violatur iustitiæ honor & decus virtutis, si
pecuniæ subiiciatur & reddatur vanalis; est
enim iustitia res sacra, angusta & adeo per-
fecta. Præterea si auro sunt vanalia iura;
facile fieri poterit, vt iudex pecuniã corrū-
patur. Quod insinuauit Poëta dum dixit:

Vendere iure potest, emerat ille prius.

Id verò à rectâ ratione alienissimum est, ac

Tom. 3.

longè iniquissimum. Et sanè magistratus
est bonum publicum ciuitatis siue Reipub.
directio quæ virtuti debetur & sapientiæ;
alioqui si pretio ac pecuniã æstimeretur magi-
stratus, ita ut sapientiæ & virtutis nulla ha-
beat ratio, fiet profectò vt Respublica
vitulos aureos, siue idola imperitiæ, & stō-
lilitatis adoret quamplurimã, & sic honesta
paupertas, inopi que sapientiã ab omni di-
gnitate excludetur, iacebunt litteræ, artes,
virtutes, quæ homines à bestiis distingunt;
eritque respublica, relictâ virtute, improbi-
tatis, auaritiæ, & ignorantia theatrum in-
ferimū. Ideo iure merito Aristoteles c. 11.
lib. 2. Politicorum reprehendit Carthagi-
nenses, qui vanalitem magistratum per-
mittebant, *φάνλον τὸ τὰ μέρη ἀντιτὴν εἶναι τὸν
ἀξίον, τὴν τὴν ἀσπίδα ἐξ τὴν στρατῶν, μάχην εἶναι
ἐν τῶν φάνλων, ἢ τῶν ἀσπίδων, ἢ τῶν στρατῶν*, malū esse
si vanales fuerint summi magistratus;
vt regnum, & belli imperium. Quod si de
summis dicitur, quidni & de minoribus?
Quanquam minus periculum est in vana-
litate minorum magistratum; sed absolutè
ac simpliciter satius est ac præstabilius vir-
tuti, quam diuitiis deferre magistratum &
imperium, nisi fortè obstat locum & po-
pulum alia leges, instituta, & consuetu-
dines. Alioquin honoratior esset diuiti-
um sapientiã & virtute, fieretque respublica
potius *φιλοχρηματίας* & auarâ, quàm *φιλότιμος*
& gloriæ solidæque laudis cupida. Quã-
enim in ciuitate diuitiæ sunt in pretio, in eâ
iacere virtutem necesse est, inquit Plato 8.
lib. de Repub. Vbi autem virtus contempta
iacet, necesse est vitia regnare omnemque
iustitiam aboleri. Solem autem è mundo
tollunt, qui iustitiam è medio tollunt, quæ
virtutis numeros omnes radiosque continet
iuxta illud vetus Carmen ab Aristotele ci-
tatum lib. 5. Ethic. *ὅτι ὁ ἀδικουμένην ἀνδρῶν πῶς
ἀρετὴ π.*

Certis tamè de causis vanales esse posse,
imò & debere magistratus, cum scilicet hinc
utilitas redundat in Rempub. quæ inde me-
lius habeat & monarchia imperiumue am-
plificetur, conseruetur, ac propugnetur; cõ-
munis ferè est opinio ac sensus Politicorum
nostræ tempestatis, cuius opinionis verita-
tem vel falsitatem euentus comprobarit.
Sed hæc satis de selectioribus quaestiuncu-
lis ad librum secundum Politicorum.

LIBER TERTIVS

Politicorum.

Habet iuxta præsentem editionem, ca-
pita octodecim, licet Perionius, Ca-
sus, & Giphanius duodecim tantum recen-
seant, in quib. ex proprio sensu differit Ari-
stoteles de Republica & Ciuitate: cuius
paries libro primo, formas autem siue insti-

tuta varia, ex variis legislatorum scitis libro secundo enarrauit; reprehensis iis quæ digna reprehensione videbantur. Agit igitur hoc tertio libro de ciue, & ciuitate; de virtute ciuis, & viri boni, de generibus rerum-publicarum, de magistratibus, de regno & Aristocratiâ. Sed singula genera rerum-publicarum ordine persequitur, ad librum vsque septimum.

Ad Cap. primum.

DOcet primò omnem Politici & Legislatoris curam in ciuitate esse positam. Secundo, πολιτικός, id est, Rempub. esse πῶν πάλιν πόλιν οἰκούμετων τῆς ἰσῆς. Ordinem quemdam eorum qui ciuitatem incolunt. Tertio, πολιτικός, ciuitatem ex ciue, qui πολιτικός dicitur, vt ex parte totum, debere cognosci, cum ciuitas sit πολιτικὴ πόλις, ciuium multitudo. Videndum igitur esse quid sit ciuis, simpliciter, propriè, & ἀπλῶς. Sunt enim ciues nonnulli quadam ratione, πῶς, vt qui ciuitate donantur, & πικτοί, siue, δημοποικτοί, factitij vocitantur; item pueri, & senes depontani; quos vocat ἀφειμῆς, id est, dimissos, & muneribus publicis solutos, & παρκεμαίους, effectos. Ciuis ergo ἀπλῶς, & qui talis est optimo iure, optima lege, is dicitur qui non quidem eiusdem domicilij, sed iudicij etiam, magistratum & imperiorum est particeps. Vbi diuidit magistratum in finitum siue temporaneum, vt olim erant omnes Romæ magistratus, qui certo tempore definiebantur; & infinitum siue perpetuum, vt erant apud Græcos iudex & concionator, siue ἐκκλησιαστής. Erat autem ecclesiastes is qui ius habebat deliberandi & sententiam dicendi in concione, de rebus faciendis, vel non faciendis, siue vno verbo de futuris; de præteritis enim Ecclesiasta non statuebat, sed solus δικαστής, iudex, vt notauit ipse Aristot. lib. 1. Rhetor. Sed cum ciues variij sint pro varietate rerum publ. Respublicæ autem ita differant specie, vt aliæ sint priores, aliæ posteriores, rectè enim vitiosis priores sunt, vt regnum tyrannide; profectò alij erunt in alia Republica ciues, nec poterit communis definitio ciuis exhiberi. Vnde quæ ciuis definitio iam posita est, soli Democratiæ conuenit, vbi est concionum, iudiciorum, & magistratum communis participatio. In aliis enim Rebus-publ. vel non est concionum vsus, vel non est iudiciorum libera communicatio. Non est igitur hîc definitus ciuis Aristocraticus, nec Basilicus, sed solus Democraticus. Quamquam nota Magistratum omnibus Rebus-publicis communis esse videtur; adeo vt in quacunque Republica negari possit ciuis esse is, cui ad Magistratus via sit interclusa.

Ad Cap. secundum.

Improbat vulgarem ciuis definitionem, qua ciuis dicitur is qui ex vtroque paren-

te ciue natus est. Potius enim ciuem dicendum esse qui Reipublicæ & honorum sit particeps, vt antea dictum est. Tum statuit ciues eos reuera esse qui mutata Reipublicæ forma, imperij sunt in eadem ciuitate participes: Iuste an iniuste, nil refert. Quidam enim iniuste gerunt Magistratum, qui tamen reuera gerunt Magistratum.

Ad Cap. tertium.

Significat, acta ciuitatis etiam ea dici quæ facta sunt à ciuitate, licet eius forma siue Respublica postea mutata sit; quia nempe ciuitas semper manet ciuitas, licet Politia mutata sit. Sed an sint acta eiusdem ciuitatis mutata Politia, explicari non potest, nisi prius intelligatur, quando ciuitas sit dicenda eadem, vel alia. Statuit verò ciuitatis identitatem vel diuersitatem, ex Politia seu ratione administrandi esse æstimandam, non ex moribus; adeo vt morte mutatis ciuibus, & aliis nascentibus, iidem tamen ciues eademque ciuitas, vt idem fluiuius, idem fons, aliis licet affluentibus & defluentibus aquis, manere censeantur, si eadem Reipublicæ forma, & ratio, & σωθῆς, perseveret; & contra iidem viris in eadem vrbe manentibus, non tamē iidem propriè ciues sint, eademve ciuitas permaneat, sed omnino diuersa, si Reipublicæ forma immutetur. A forma enim petenda esse rerum discrimina, non à materia. At in Re Politia homines, agri, & loca sunt veluti materia; ratio autem gubernandi, siue πολιτικά, vt forma, veteribus pactis & fœderibus standum sit, λόγος ἕτης, alius est sermo; inquit Aristoteles: ea enim de re dicit postea. Notandum circa hoc caput, Urbis nomen pro ciuitatis loco sumi. quia vrbs ex loco æstimatur; nomen verò ciuitatis potius vsurpari pro ciuium ordinatione & administratione. Ideo si ciues iidem maneant sub eadem Politia, loco tamen diuidantur, & agrum mutant, urbem quidem eos mutare, non ciuitatem, id est, Rempublicam. Notatu etiam dignum est, quod de Babylone hîc ait Aristoteles, eam potius gentem, quàm ciuitatem videri, ob vastitatem, immensamque magnitudinem: ita vt cum ab hostibus, id est, à Cyro capta esset, & iam tres dies præterissent, nondum eam esse captam scirent, ij qui in media vrbe habitabant. Erat autem ambitus Babylonis sexaginta mille passuum, vt narrant Herodotus lib. 1. & Strabo lib. 10.

Ad Cap. quartum.

Statuit, alium esse virum bonum, alium bonum ciuem, absolute loquendo, & ἀπλῶς; seu quod idem est, non esse eandem viri boni, & boni ciuis virtutem vniuersè & generatim. Nempe quia viri simpliciter boni virtus est vna perfecta, καλοκαγαθία, dicta: quæ est Moralium virtutum catena &

Similis questio fuit de nave Thesei. De qua Plutarch. in Theseo.

Babylon potius gens est, quàm ciuitas.

Vir bonus à bono ciue differt.

DOCTRINÆ PERIPATÉTICÆ.

complexio perfecta: de qua in Ethicis, & lib. 7. Eudem. capite ultimo, ad bene viuendum comparata; At virtus boni ciuis non est eiusmodi. Neque enim est vna perfecta: quia cum Reipublicæ genera diuersa sint, necesse est ciuium etiam genera esse diuersa; atque adeo diuersas virtutes: cum alius sit ciuis bonus in regno, alius in Aristocrata, alius in alia: & ciuis bonus, ea quæ sunt ciuitatis, spectet; vir autem bonus, quæ sunt absolutè bona, honesta, & laudabilia. Adde quòd in eadem Republica ciues non sint planè iidem, sed disparis conditionis. Differunt enim viri à mulieribus; domini à seruis, Senatores à militibus; quorum, vt tales sunt, diuersa debent esse virtutes, vt & saltatorum; alia enim virtus est *καρυστικὴ*, præfultoris; alia *παροικιατικὴ*, qui ei proximus est: illius enim quàm huius sicut imperantis & priuati, virtus perfectior est. Docet postea, posse ciuis alicuius; putà eius qui Magistratum gerat & aliis imperet, eandem esse virtutem, quæ est viri boni; siue, quòd idem est, aliquem bonum ciuem, debere etiam esse virum bonum; saltem in optima quadam Republica, vt in Aristocrata; cuius principes dicuntur optimates, quòd sint omnium optimi, id est, non boni tantum ciues, sed viri simpliciter boni, prudentes, iusti, temperantes, &c. Vulgò enim dicimus Principem siue magistratum bonum, esse virum bonum & prudentem, *τὸν ἀρχόντα τὸν κοινὸν, ἀγαθὸν εἶναι καὶ φρόνιμον.* Apparet ergo virtutem imperantis differre à virtute obtemperantis; imperantis autem & viri boni esse eandem. Notanda interim est initio capitis egregia comparatio Reipublicæ eum nauis. De qua legendus etiam est M. Tullius in Lælio, & lib. 12. Epist. ad Qu. Cornificium. Significat autem Aristoteles esse eandem nautarum & ciuium rationem. Vt enim nautarum officia sunt duo; commune vnum, in prospero cursu, & salute nauis positum, *κοινὴν τῆς ναυπηγίας* vocat; proprium alterum, vt remigis, remos dicere: gubernatoris, clauum tenere; proretæ, proram & nauim gubernare: sic & ciuium duo sunt munera & virtutes, vna publica & omnium communis, quæ ad publicæ salutis curam studiumque refertur. Altera specialis, & singulorum propria, quæ secundum varios ciuium ordines & alias atque alias conditiones distinguitur. Sic enim aliud officium est Senatoris, aliud militis, aliud magistratus, aliud hominis priuati. *ἡ δὲ φρόνιμος ἀρχόντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη. Prudentia autem imperantis virtus est sola propria,* inquit, quia cæteræ, vt fortitudo, liberalitas, iustitia, temperantia, communes sunt imperanti & obtemperanti; & in obtemperante satis est bona opinio de magistratu, vt eius iussa alacriter exequatur.

Quo loco eleganter comparat obtemperantem cum aulopæo, id est, tibiaram opifice; imperantem, cum aulere, id est, tibiicine. Huius enim ille sese accommodat.

Ad Cap. quintum.

Disputat de opificibus, quos *καρυστικὸν* vocat, an debeant illi in ciuibus numerari. Rationes vltro citroque profert; Concludit, in optima Republica ciues non esse, mercatores operarios, & sordidos artifices. Quanquam aliàs ciues sint, vt in Democratia, & Oligarchia, præsertim si sint diuites; aliàs non, vt in Aristocrata, si quæ sit, inquit: in hac enim honores & dignitates ex merito & virtute deferuntur. Quod est rarissimum, & ferè in nulla sit ciuitate. Vnde irridet Bodinus Iurisconsultus Gal-
 lus eos qui de Aristocratico regimine tractant, quòd nullibi seruetur. Et certè Aristoteles de Republica differens, Democratiam ferè & Oligarchiam solet commemorare, vt communes. Recenset postea varias ciuium species, pueros, viros, libertinos, opifices, mercatores, perfectos, imperfectos, natos, factitios. Statuit, eum verè ciuem esse, cui honores communicantur, vt supra.

Cap. 6. Methodus Histor.

Cap. 1. 1. 3.

Ad Cap. sextum.

DE Reipublica, quam *πολιτείαν* vocat, generibus & formis dicturus, definit primò ipsam Rempublicam, ordinem ciuitatis, cum in aliis magistratibus, tum in eo maximè qui est omnium summus ac princeps. Deinde repetit, ex primo libro, hominem esse animal Politicum natura, & societatis amans. Adducit autem præterea ad vitæ societatem, vt ex ea vtilitatem habeat & vitæ commoda. Hinc origo familiarum, vicorum, ciuitatum. Postea distinguit imperia ex vtilitate; quæ vel priuata est, vt in imperio despotico, in quo omnia ad domini propriam vtilitatem primò ac per se referuntur; per accidens ad serui commoda. Curat enim seruum herus, non serui sed sui gratia: vel communis, vt in imperio paterno, vxorio, & ciuili. Horum enim imperiorum finis per se est eorum qui obtemperant, salus & vtilitas; per accidens autem bonum imperantium; vel saltem communis & publica omnium tam parentium quàm imperantium vtilitas, sed maximè eorum qui parent. Hinc concludit, eas Respublicas, quæ communem spectant vtilitatem, esse rectas & simpliciter iustas; eas verò quæ imperantium ac principum commodis duntaxat consulunt, vitiosas, & *καρυστικὰς τῶν ἰδιῶν πολιτειῶν.* Quia nempe hæc despoticæ sunt, & seruorum; illæ liberorum, cum ciuitas sit *τῶν ἐλευθέρων πολιτεία*, liberorum hominum non mancipiorum societas.

Imperium herile propriam vtilitatem spectat; paternum & ciuile commune.

Recta est Respublica qua communè spectat vtilitatem.

Ut nauis officium duo.

Commune.

Speciale.

Ad Cap. septimum.

Forme re-
giminum
tres bona,
tres mala.

Recenset Reipublicæ genera, quæ docet esse tria recta; praua totidem: & recta quidem esse βασιλείαν Regnum, siue principatum vnus communi bono consulentis; λεισοκρατίαν, siue imperium optimatum, id est, virorum selectissimorum & virtute præstantium, publicam vtilitatem procurantium; πολιτείαν, Rempublicam communi nomine sic dictam, siue Imperium populi publico bono prospicientis. Præua autem esse his opposita, vt sunt τυραννίς, siue dominatus vnus qui suam potius quam suorum spectet vtilitatem; ολιγαρχία, siue paucorum Imperium diuitem, commoda quarentium; δημοκρατία, siue potestas plebeię multitudinis rem ad egentium & plebeiorum hominum commoditatem administrantis.

Ad Cap. octauum.

Tyrannis
est monar-
chia serui-
lis.

Explicat pluribus verbis, vt loquitur, quæ de Reipublicæ generibus dixit supra; docetque, Tyrannidem esse monarchiam despoticam, in ciuilem societatem, qualis scilicet potestas est in seruos. Item Oligarchiam esse cum diuites dominantur; Democratiam, cum egeni è plebe. Neque debere has species tam numero diuitem aut egenorum aestimari, quã conditione. Itavt Oligarchiã nota sit, cum diuites siue nobiles & potentiores, vel pauci vel plures dominantur; Democratia vero, cum pauperes & plebei siue plures sint, siue pauci. Quanquam rarissimè contingit plurimos esse in Oligarchiã; cum nomen ipsum paucitatem significet imperantium: & paucos in Democratia, cum pauci pauperes vix possint imperium summamque potestatem vsurpare.

Ad Cap. nonum.

De propriis rebus
mali iudices
sunt ferè mul-
ti.

Laudabant Athenienses Democratiam, Lacedæmonij Oligarchiam, vt iustas. Illi enim vt & Democratici omnes, dicebant, inter pares libertate omnia paria esse debere; Hi, inter pares potentiã & diuitiis. Cum igitur hi & illi æquitate quadam nitantur, iure quoque niti videntur. Respondet Aristoteles, neutros verum dicere: Sed duas ob causas errasse. Prior est, quod de seipsis iudicarent, ἡδὸν δ' οἱ πλείους φαῦλοι κριταὶ τοῦ καὶ ἑοικέντων. Atque, vt aiunt Iureconsulti, nemo in sua causa iudicare debet, aut iure potest. Posterior, quod ratiocinentur ex paralogismo & captione à dicto secundum quid, seu ex parte, ad dictum simpliciter & omnino. Non enim rectè sequitur eos qui aliqua ex parte, putà libertate, vel diuitiis sunt pares, ideo in omnibus esse pares. Statuit ergo, non diuitias, non libertatem, sed virtutē esse in ciuitate τὸ κρείοτατον, atque adeo veros ciues esse non ditissimos, non nobilissimos, non liberrimos, sed qui

viri sint optimi, quod probat à fine ciuitatis, quæ non vitæ, non mutui auxilij, non commerciorum, (alioqui disunctissima nationes inter quas commercia sunt, mutuãque auxilia, eiusdem dicerentur esse ciuitatis,) sed bene beatèque viuendi causã, id est, ad virtutis cultum, cui adiuncta sit sufficiens externorum bonorum copia, est instituta.

Ad Cap. decimum.

Differit de principatu ciuitatis, siue de summã Reipublicæ, τὸ κρείον ἢ πόλις, appellat; quaritque penes quem, vel in cuius manu ac potestate esse debeat, an in vnus optimi-an tyranni, an multorum arbitrio ac directione; Atque hanc quidem disputationem toto fere reliquo libro persequitur. Hoc igitur capite omnium gubernationum siue principatum incommoda declarat. Democratia quidem, quod pauperes & plebei manus iniiciant in bona locupletum, non sine pernicie Reipublicæ. Oligarchiã, quod pauci principes ac ditiores plebem opprimant. Aristocratia, quod pauci honoribus summis potiuntur, plurimi relinquuntur inglorij & inhonorati, quod incommodum in regno adhuc grauius est, vno solo imperante, cæteris omnibus relictis. Quod si ad legem quis imperium referendum putet, non ad regem, siue ad hominem; sanè is incommoda prædicta ideo non effugiet: quia lex omnis necessariò erit vel Democratica, vel Oligarchica, vel alteri cuiquam principatu accommodanda.

Ad Cap. vndecimum.

Statuit satius esse, Imperij summam esse penes multos quam paucos; dummodo illi multi, si non singuli & distributiue, saltem omnes & collectiue, sint viri boni, & illis paucis meliores, itavt non singuli quidem seorsim sumpti virtutibus omnibus sint præditi, sed omnes simul, & vnus vnus alius aliã virtute excellat. Quod documentum illustrat similitudine cænarum Symbolicarum, quas vocat τὰ συμφορητὰ δεῖπνα, cū scilicet Symbolam partemve suam singuli contulerunt: sunt enim hæ cænx meliores & lautiores, iis quæ ἐν μᾶς διαπίπτει fiunt & instruuntur. Tum docet non esse tutum, multitudini maxima imperia summosque magistratus committi; facile enim iniuste & imprudenter agere; nullos autem prorsus eidem concedere, esse formidolosum. Hinc enim seditiones. Itaque debere multitudinem βελούδαυ ἢ κρίνειν, consilij & iudiciorum esse participem. Sic permisisse Solonem, & alios Nomothetas, vt populus magistratum creationi præesset, iusque haberet reposcendi gesti magistratus rationes. Prodesse igitur multitudinem congregatam ciuitati, præsertim si melioribus adiungatur & sapientioribus; non secus

Incommoda
singulo-
rum regi-
minum.

Ex singu-
lorum sym-
bola me-
lior cænx
quàm ex
vnius
supribus.

secus atque impurus cibus puro mixtus, totum nutrimentum reddit vtilius, quam si esset paucum & purum nutrimentum: quia multum par est alendo corpori, paucum impar, ideoque illud hoc vtilius. Quæ comparatio an omnino sit vera, viderint Medici, quibus etiam cibus licet purissimus in impuro corpore suspectus est. τὰ μίχθαισα ἐὰ τῶν ὁσμῶν, ἕκαστον αὐτῶν ἀπὸ τῆς μᾶλλον βλάψης inquit Hippocrates. Examinat postea Aristoteles Solonis institutum, quo concessum est populo ius eligendi & creandi magistratus, & rationes reposcendi: ad hæc enim officia iudicio & scientiâ opus esse, quibus caret populus. Inserit digressionem de scientiis & artibus, in quibus tres fere personas esse scribit. Sic Medicum ait quodammodo esse triplicem, *διμερῶν* vnum, qui scilicet operatur & exercet Medicinam; *ἀρχὴν τοῦ κακοῦ* alterum, qui docet & præscribit; tertium *πρὸς ἀσθενεῖαν*, vsu peritum, & expertum; vbi docet iudicium non minus pertinere ad vsu peritos, quam ad scientes & doctos. Soluit ergo controuersiam hoc pacto. Multitudinem quidem popularē sigillatim ac distributiue sumptam, non posse rectè iudicare; vniuersim tamen & collectiue, collatis scilicet capitibus, & communicatis consiliis, posse. Neque verò ad rectè iudicandum opus esse vt qui de reb. officiisque iudicant, ea perfectâ scientiâ teneant; aut etiam ipsi fecerint, vel exercuerint; satis enim esse vt vsu valeant & experiatiâ. Sic enim qui reb. vtuntur, vt domo, calceo, veste, eque bene de iis iudicant, an benè vel malè confectæ sint, atque interdum melius, quam ipsi artifices. Pari igitur modo populum, licet ipse non gerat magistratum, quia tamē imperio magistratus vtitur, cui subest & obtemperat, rectè de eo iudicare, & plerumque melius quam ipsos imperantes, qui sua vitia non vident. Concludit, imperium penes leges potius esse debere, quam penes homines, si eæ iustæ sunt. Eas autem esse iustas; quæ bonis rebus publicis, vt regno, Aristocratia, accommodantur: Iniustas; quæ contrâ. Cæterum quædam esse magistratus æquitati & arbitrio relinquenda; quia leges omnia non explicant aut comprehendunt. Hinc *ἐπιπέλας*, de quâ cap. 14. l. 5. Ethic. ad Nic.

Ad Cap. duodecimum.

Statuit bonum Politicæ propositum tãquam finem, esse τὸ δίκαιον, ius. Tale autem ius esse id quod omnib. est vtile. Atque hoc quidem in confesso esse apud omnes, quòd ius sit, quædam æqualitas, vt dictum est in Ethicis. Hinc enim quia æqualitas duplex, Arithmetica, & Geometrica; duo etiã constituta fuere genera iuris & iustitiæ, permutationis quidem, vnde iustitia commutativa; & distributionis, vnde distributiva.

Præterea omnes existimare iuri esse consentaneum, vt paria paribus tribuantur: sed quia perperam vulgo discernitur & æstimatur illa paritas: cum alij tam libertate metiantur; alij diuitiis; alij genere; alij virtute: Scire oportet, inquit, quarum rerum sit æqualitas, quarum inæqualitas; siue an qualibet re pares, vel impares debeant in republica de honoribus contendere. Decernit igitur Aristoteles in distribuendis reipublicæ honoribus, non esse rerum omnium spectandam æqualitatem, aut inæqualitatem; sed eam tantum quæ reipublicæ conferat; vt enim in artibus, sic & in Politicâ, vbi fit comparatio, vsus finisque eius rei, artisve in quâ fit comparatio, spectari omnino debet; cætera autem, quæ nihil ad rem conferunt, relinquenda. Vnde sicuti in arte tibiæ si duo certent, quorum alter optimè canat, sit tamen plebeius; alter artis tibiæ sit imperitus, nec aprè canere possit, qui tamen sit nobilis; non huic imperito licet nobili, sed illi dari debent tibiæ meliores; quia nempe ad vsu artis, id est, ad tibiæ, nihil iuuat nobilitas, sic & in re ciuili non est habenda ratio eorum quæ nihil ad ciuitatis bonum conferunt, vt proceritatis, vel formæ, nisi eæ virtutibus adiunctæ sint. Hinc colligit non abs re de honoribus ciuilibus contendere nobiles, liberos, diuites, virtute præditos, & multos cum paucis comparatos. Hi enim omnes ius quoddam contentionis habere videntur: cum nobilitas, libertas, diuitiæ, virtus, multitudo ad ciuitatem conferre credantur.

Ad Cap. decimumtertium.

Statuit, ex iis ciuib. supra commemoratis, diuites quidem & nobiles siue ingenuos (quos & *γενναίους*, generosiores vocat, quòd *ἐν ἡλικίᾳ ἀπὸ τῆς ἡλικίας*, nobilitas, sit virtus generis) ad hoc vt sit simpliciter ciuitas, iure contendere: nam ad *πρωματία*, id est, tributâ conferenda, opus est diuitibus, & ciuitas non est seruorum, sed liberorum societas; vt verò sit beata ciuitas, iustius de honoribus Politicis virtutem contendere. Quòd si contingat in vna ciuitate omnes illos ordines còcurrere, diuitum, nobilium, bonorum, multitudinis; dubium videri, cuius potius ordini conferre publicos honores & magistratus oporteat: Respondet nullum satis esse idoneum ad omnes magistratus sibi vendicandos; & statim aliam mouet quæstionem, è cuius solutione prior intelligatur; Debeantne leges rectissimæ vtilitatem bonorum spectare, an potius multitudinis: Statuit non huic aut illius duntaxat ordinis vtilitatem, sed omnium, id est, totius Reipublicæ communem spectandam esse. Tum ciuem generatim ait esse eum, qui impera-

*Spectandâ
communis
vtilitatis
bonum.*

*Impura
corpora
quo plus
nutrit, eo
lades ma-
gis. Aph.
10. Sect. 2.*

*Populus
collectiue
sumptus
potest iu-
dicare.*

*Imperium
esto penes
leges.*

*Lib. 5. c. 3.
& 4.*

re vicissim & parere potest, ὁ μάλιστα τὰ ἀρξεν
 ἢ ἀρχαδου. Esse verò in aliâ Republicâ alium,
 pro Republicæ varietate. Alius enim est
 ciuis Basilicus, in regno; alius Democrati-
 cus, in Democratiâ. In optimâ autem esse
 eum, qui possit & velit præesse & subiici,
 imperare & parère, proposita sibi vitæ ra-
 tione, quæ sit virtuti consentanea.

An vni
 excellen-
 tissimo tri-
 buendum
 imperium.

Supponit insignem quæstionem de ho-
 nore summo, vel magistratu vni alicui præ-
 stantissimo, aut paucis etiam excellentif-
 simis, seu virtute, seu diuitiis, seu potentia &
 favore ciuili, deferendo. An videlicet si
 vnus Heroicè excellens & insigniter bo-
 nus in ciuitate reperiatur, ei imperium in
 ciues alios sit tribuendum? Respondet af-
 firmatiuè. Paribus enim paria tribuenda
 sunt, ergo imparibus imparia. Atqui huic
 vni Heroi, si quis est, ciuium aliorum nemo
 par est, cum sit quasi Deus inter homines;
 non sunt ergo paria Heroi & ciuibus tri-
 buenda. Atque adeo iniuste agent ciues, si
 parem Heroi honorem ambiant, & impe-
 rium cum illo velint diuidere. Non secus
 ac si cum Ioue Dij imperium mundi partiri
 cuperent. Præterea in Heroem illum leges
 ferre ridiculum; qui insigniter sit optimus,
 & ipse potius sit lex. Hic citat Aristoteles
 apologum Antisthenis: Suasisse olim, dum
 comitia inter bestias celebrarètur, lepores,
 vt omnibus ex æquo animantibus pares præ-
 dæ seu capturæ partes diuiderentur: At
 Leones respondisse, Debere prius lepores
 docere, pares quoque omnium animantium
 vires & robur fuisse in capienda prædâ. Sed
 fortè cum argumentis agere nollent Leo-
 nes, arreptos lepores sic concionantes de-
 uorantur; vt hinc doceat Aristoteles, Non
 esse cum potentioribus & Heroibus certân-
 dum, aut cum iis paria facienda. Annotat
 tamen illam virtutis vel potentia ciuili ex-
 cellentiam, suspectam odiosamque fuisse
 ciuitatibus; è qua scilicet immutandæ Rei-
 publicæ periculum imminet; atque hinc
 τὴν ὀσρακυσμὸν, siue exilij sententiam, quæ
 ὀσράποις, id est, testulis, quibus inscribatur
 eiiciendi nomen, ferebatur, Athenienses
 instituisse; vt scilicet eum exilio pellerent,
 qui fortitudine, gloriæ militari, aut insi-
 gni iustitia & virtute, aut diuitiarum copia,
 aut amicorum multitudine, aut alia qualibet
 ciuili potentia reliquis ciuibus antecelleret.
 Sic & Argonautæ, secum habere Herculem
 noluerunt, ὡς ἄσπιδόηοντα πολὺ τῶν πλωτῶρων. Et
 hanc quidem opulentos Heroas, virósque
 optimos, expellendi rationem in vitiosis
 rebus publicis, vt Democratia, Oligarchia,
 Tyrannide, non modò locum habere ait,
 (quòd scilicet ipsis iusta videatur, eis que sa-
 tis sit, vt quacunque via etiam improba in
 suo statu conferuentur,) sed etiam in bonis,
 eommunem alioquin vtilitatem spectanti-

Non est cū
 potentiore
 certandū.

Quid
 ostracif-
 mus.

Quòd a-
 lios vello-
 res pluri-
 mum su-
 peraret.

bus, posse reperiri, hinc probat; Quòd vt
 artifex partem vnâ operis licet absolute
 pulchram & optimam, vt pictor pedem
 animalis, nauium opifex puppim, Choro-
 didascalus vocem alicuius Musici alioqui
 suauem, iusto tamen grandiore & altio-
 rem non sustinet; sic & bonus Princeps aut
 Magistratus vnum aliquem iusto maiorem
 ac potentior in ciuitate potest ostracif-
 mo cohibere, maioris boni gratia, ne scili-
 cet inde Respublica capiat detrimentum.
 Consulit tamen ita esse à principio Rem-
 publ. temperandam, vt postea non egeat
 τὴν αὐτῆς ἰατρείας, tali medicinâ. Cum verò duo
 sint excellentia, ἢ ἄσπογγῆς, genera; vnum vir-
 tutis, alterum ciuili potentia, vt opum, &
 amicorum, concludit, ne in optima quidem
 republica nimiam opum, amicorum, ciui-
 lisque fauoris ἄσπογγῆν, ferendam esse; virtu-
 tis verò præstantiam omnino esse amâdam
 & recipiendam vt optimam; esseque æquis-
 simum, vt omnes viro excellenter optimo
 & sapientissimo sponte pareant; vel pluri-
 bus eiusmodi, si qui extent: quos sanè om-
 nino expedit reges esse perpetuos, βασιλεὺς
 εἶναι αἰδίους, cum virtus sit ciuitatis præstan-
 tissimus scopus.

Virtutis
 excellentia
 recipien-
 da.

Ad Cap. decimumquartum.

HAtenus de Republica eiusque gene-
 ribus in vniuersum, deinceps de sin-
 gulis speciatim differit; primò quidem de
 rectis, deinde de vitiosis. Hoc igitur reli-
 quo libro de regno & aristocratia coniun-
 ctim pertractat, quia vtriusque finis est vir-
 tus; sed parcè & leuiter de Aristocratia. Cū
 autem docere instituat, & diligentius expli-
 care, an regnum, quod vocat βασιλείαν, præ-
 stabilius sit, melius, & accommodatius gu-
 bernandis, vel in ciuitate, vel regione qua-
 libet, hominibus; quàm alia quæuis Politia:
 statuit prius esse regnorum genera distin-
 guenda. Atque ea quidem omnino esse
 quinque, in quibus scilicet imperandi mo-
 dus diuersus videatur. Primum ait esse La-
 conicum, quod qui tenet, belli dux est sum-
 mus & imperator perpetuus; ita tamen vt
 penes eum non sit summa rerum omnium
 potestas, nisi dum extra fines Lacedæmo-
 nios excefferit. Dicitur hoc regnum
 κρατική αὐτοκρατορία, ἢ αἰδίος, ἢ διὰ βίαν. Aliud-
 que est hæreditarium ἢ ἕως; aliud opti-
 mum, siue ex electione, αἰρετόν. Secundum
 barbaricum imperio tyrannico & herili si-
 mile, hæreditarium, & lege apud barbaros
 constitutum, cum regia custodia non tyran-
 nica. φυλακὴ τῆς βασιλικῆς, est cum ciues armis
 suis regem custodiunt, τυραννική δὲ cum ex-
 terni & alienigenæ. Tertium est Græcum
 vetus, Αἰσιμαχία, dictum, quod alij electione
 creati & Αἰσιμαχία vocati, perpetuò gerebāt:
 alij certo tempore, & ad certas res. Quartū
 Heroicum, quod præsci illi Heroës vno po-
 puli

Regni
 quinque
 genera.

Quid te-
 gia custo-
 dia.

puli consensu olim obtinebant, ob res ab ipsis præclare gestas, & publica beneficia; eratque ideo legitimum, voluntarium, imò & hæreditarium; & quidem penes eiusmodi reges potestas erat belli, sacrorum, & iudiciorum. Ad iudicia autem accedebant alij præstito iureiurando, alij non præstito, ὁ δὲ ὄρκος ἢ τὸ σὺν πλεονεκτηματίαις. *Iusiurandum autem erat sceptri elatio.* Sed & solenne olim erat iurare per ipsum sceptrum, ut fecit Achilles apud Homerum. Legati etiã oraturi sceptrum tollebant. Quintum absolute, ut aiunt, simplex & summum, quod qui gerit, πῦντος ἐστὶ κρείσσος ὄντι, omnium vnicus est summusque dominus; estque in suo regno, quod in familiã est paterfamilias.

Ad Cap. decimumquintum.

Refert omnia regnorum genera ad duo, nempe ad absolutum, quod vocat eleganter *παμβασιλειαν*, & ad Laconicum. Quod idem est ac si diceret, regnum aliud esse plenum, & infinitum, siue planè legibus solutum & supremæ auctoritatis; aliud dependens, & legibus astrictum, nec absolute potestatis. Hoc posito duas proponit quæstiones. Prior est an è re ciuitatis sit, aliquem in eã esse Laconicum regem, siue perpetuum belli ducem, eumque ex certã & illustri familiã, aut è qualibet; & hanc relinquit. Posterior an expedit ab vno principe gubernari, an verò conducatur magis esse sub optimarum legum imperio. Et de hac doctè grauitèrque disputat in vtramque partem, nunc pro Rege, nunc pro lege. Pro Rege quidem, quia lex omnia nõ comprehendit, cum vniuersim decernat, nec ea quæ eueniunt possit dirigere. Legi igitur Rex est præferendus, qui legum defectum sapienter suppleat. Hoc loco insigne tradit documentum, in quauis arte ex scripto seu lege, imperare stultum, ἢ λήθιον. In Ægypto licere Medicis post diem quartum mouere; quòd si ante exactum quadriduum moueat, suo periculo mouere. vbi notandum verbum *κινῆν* Medicis vsitatum, maximè pro eo quòd est, purgã pharmacum ad noxios humores expellendos, exhibere. Sic diuinus senex Hippocrates, dum de purgatione decernit, verbum *κινῆν* solet vsurpare, τὰ κρινοῦμενα, ἢ τὰ κεκριμένα ἐπιπέσει μὴ κινῆν, μὴ δὲ γεωπνευστοῦν, μὴ τε φαρμακίῃσι, μὴ τε ἀλλοιοῖσι ἐρεθιστοῦσιν, ἀλλ' ἑαῖν. *Quæ iudicantur perfecte, & quæ exquisitè ac sufficienter sunt iudicata, nullo modo mouenda, neque nouanda, neque medicamentis purgantibus, neque aliis irritamentis, sed sinenda.* Et alio loco *πίπυρα φαρμακίῃσι κινῆν, μὴ οἷμα μὴ δὲ ἐν ἀρχῇσι, ἢ μὴ ἐξ ἑστῆσι καὶ δὲ πλεονεκτηματίαις.* *Concocta medicari & mouere, non cruda: nec in principis vnquam, nisi turgent humores; ut plurimum autem non turgent.* Pro lege verò sic disputat Aristoteles, *Lex non est obnoxia perturbationibus, om-*

nique caret affectu, ut ira, auaritia, fauore; At humanus animus pathematis & affectibus obnoxius est, ita ut qui legibus, is Deo; qui homini, is belluæ tradat imperium, inquit cap. 17. huius lib. & initio l. 1. Rhetor. Satius ergo est Legem quàm Regem imperare. Statuit verò, & Legem & Regem in bona Republica simul esse debere, illam quidem propter vniuersalia, & ea quæ decerni possunt, hunc verò sine magistratu, propter particulares euentus, & ea omnia quæ lege non possunt facile definiti. Quærit autem an vni, an multis, eorum quæ lege nequeunt definiti, gubernatio & imperium permitti debeat; Respondet, debere potius multis permitti, quàm vni. I. Quia de rebus singulis melius multi iudicant, quàm vnus. Ut splendidius esse epulum solet in quod multi symbolam contulerunt, ut dixit supra. II. Quia multi iudices non adeo facile corrumpuntur ac vnus; ut neque magnum flumen, aut aqua multa tam citò corrumpitur, atque pauca. III. Quia vnus iudicio perturbato, siue ira, siue alia quadam passione, facile iudicium corrumpitur: at in multitudine vix contingit omnes iratos esse, aut peccare. His expositis confert Regnum cum Aristocratiã, & nunc vnus viri boni & ciuis boni imperium, plurium bonorum imperio anteponebat, quòd scilicet vnus sit ἀγαθὸς, & à se dissentire nequeat; plures verò ἐπιστάζοντες dissideant, & seditionibus facile conflictentur: nunc Aristocratiã regno præfert, respondetque viros bonos, licet plures, esse tamèn in rebus bonis concordēs; cum animo sint integro ac bene affecto, atque adeo esse instar illius vnus, vnde concludit ciuitatibus optabiliorem esse Aristocratiã, regno. Quod etiam colligi potest ex antè dictis, vbi docuit multos minus esse corruptelis obnoxios, quàm vnum. Atque hinc infert regnum fuisse antiquissimum imperij genus; cum facilius fuerit vnus bonus, sapientem & beneficum, quàm multos optimos initio reperire; præfertim cum paruas vrbes in quibus plures optimi & excellentes esse non poterant, olim homines incoherent. Sed cum multi virtute & sapientia pares paulatim existerent, vrbesque fierent ampliores, repudiato vnus imperio, siue regno, commune potius imperium adamare cœperunt & mutuum: quæ Aristocratiã, & Reipublicã est origo. Atque hi virtute pares & pauci cum defecissent, & ad diuitias animum conuertissent, Oligarchiam δὲ ἀρχὴν κρείστων, induxerunt: è quã Tyrannis nata est, vno scilicet ex illis paucis reliquos opprimente, & imperium inuadente. Quod olim Romæ fecit Iulius Cæsar, Dionysius, Syracusis, & alij alibi. Ex Tyrannide tandem orta est Democratia, paucorum scilicet potestate

Iliad. 1.
Iliad. 7.

παμβασι-
λειαν.

Regis le-
gi præfe-
rendum.

Observa-
tio medi-
ca.

Auth. 24.
Sect. 1.

Aphor. 22.
Sect. 1.

Legē regi
præferēdā.

Imo rex
& lex ius-
gi debent.

Cap. 11. l. 3.

Multis vno
meliores.

Origo im-
periorū, &
reipubl.

Ob turpe
lucrum.

Obi in
-aliquo

extincta: sic enim multitudo fortior facta est; quæ ita in Tyrannum inuasit, & popularem statum amplificatis ciuitatibus, auctoque populo inuexit, ut difficile sit aliam Politiam quam Democraticam existere.

Attexit Aristoteles duas quæstiones. Prior est, an posito regno tanquam optimo regimine, debeat regnum esse hæreditarium, & à patre in filium transmitti. Posterior, an regi ut fortiter regnet, opus sit armorum vi, seu custodia ac præsidio militum? Priorem clarè non soluit. Hoc tantum ait, perniciosum esse, degeneres regum filios, & à paternâ virtute desciscētes (quod haud rarò contingit, iuxta illud *ἡρώων πῦδες πῆματα*, *Heroum filij noxia*) regnum administrare; & tamen vix aliter fieri posse, quin pater amore naturali, quem Græci vocant *ἠγάπη*, impulsus, filio committat imperium. Ex quo crediderim non probare Aristotelem (tacitè tamen ob Alexandrum Magnum Philippi Macedonis hæredem, in cuius regiâ multos annos versatus est) regna hæreditaria, ut pote periculosa, & pestifera, si ad improbos vel stultos hæredes transferantur. Posteriori autem non integrè satisfacit. Respondet enim de Rege Laconico, cui summa sit potestas ex lege attributa, nihilque pleno suo arbitrio præter leges faciat, ei scilicet necessariam esse armorum vim & potentiam ad leges custodiendas; sed talem ac tantam, qua improbos coërceat, Republicam tamen non possit opprimere.

Ad Cap. decimum sextum.

PROBAT vnus summum imperium, siue regnum illud absolutum, quod superiori capite vocauit *πῦδαισις*, non esse iustum, neque naturæ consentaneum; atque adeo melius & optabilius esse legem imperare, quam vnum aliquem ciuem. Quod defendit aduersus Platonem, qui plus bonis viris, quam bonis legibus tribuendum esse censet. Non esse igitur *ἰσθμῖον*, id est, secundum legem naturæ, vnum esse ciuium omnium dominum ostendit. I. Quia iniustum est paribus parem dignitatem non tribuere, ut paribus imparē; quemadmodum corporibus æqualibus inæqualem victum aut vestem. Atqui ciues omnes sunt pares; ergo iis impar dignitas non est tribuenda, id est, vni summum imperium, cæteris nihil tale. Itaque iustius erit vicissim omnes, cum pares sint, imperare, & obtemperare. Hoc autem à lege est quæ ordo est. Præstabilius ergo legem imperare: ita tamen ut constituentur magistratus legibus subiecti, siue legum ministri & custodes, quos hæc vocat *νομοφύλακας*, & *ὑποτάσσας τοῖς νόμοις*, ut scilicet seruandas leges curent, easque cum

opus fuerit, interpretentur, corrigant, & adhibitâ æquitate prudenter temperent. *Emendatio textus.*
 II. *ἢ οὐκ ἐπέκεινται τοῖς ὀνόμοις ἔτι.* Lex est mens sine cupiditate, aut perturbatione vlla; & qui legem (quidam hæc legunt *νοῦν* mentem, sed vetus scriptura habet & rectè *νόμον* legem) præesse vult, is velle videtur, ut Deus imperet; qui hominem, feram; nempe ob passionem & animi motus varios quibus homo affici solet. Quod verò argumentum & exemplum superiori capite allatum est, à Medicinâ, aliisque artibus petitum, pro rege contra legem, præstare scilicet, & esse expeditius iudicium & sententiam Medicorum & artificum vsu peritorum & expertorum, quam doctrinam artisque leges & præcepta sequi, falsum esse ait: cum expediat doctis vti, qui maximè ad officia sua affectu nullo ducantur. Medici enim non odio, aut gratiâ, sed arte & prudentia, & honorarij causa Medicinam faciunt: at in Politicis multus est gratia, odio, iræ, ambitioni locus. Quod si Medicos ægri suspicentur ab inimicis pecunia corruptos, illos statim ægri dimittunt, & præceptis artis, *ἢ ἐν τῇ γραμματικῇ*, & ex libris siue scriptis, curari malunt. Addit, Medicos, cum ægrotaut ipsi, alios Medicos accersere, quasi sibi iure diffidentes. quod difficile sit in re sua verum discernere, apræque ac sine quadam animi perturbatione, iudicare. Hoc loco distinguit leges inscriptas, & non scriptas; & has quidem quæ consuetudine & moribus receptæ sunt, & à maioribus traditæ; (quas ideo vocant nonnulli traditiones,) ait esse maioris auctoritatis; quibus ideo Magistratus, si nō illis, sit inferior. III. Plus vident oculi, quam oculus: Ergo plures boni & clarè videntes, id est, prudentes, vno sunt meliores. IV. Vno viro bono, duo boni sunt meliores. Sed hæc duo argumenta ut & vltimum, pro Aristocratia potius quam pro lege concludunt: nisi dicamus in supplementum legum, plures adhuc bonos Magistratus vno esse præstabiliores, qui scilicet clariùs meliùsque leges interpretentur, quam vnus. Denique ipsa regnandi ratio quam reges seruant, manifestè probat Aristocratiam præstantiam, imò & necessitatem: illi enim amicos suos faciunt imperij sui socios, dum eorum doctrinâ, prudentiâ, & consilio vtuntur in rebus gerendis; At amici pares sunt & similes. Ergo cum reges credant oportere amicos suos secum præesse & regnum administrare, vt reuerâ sit, eo ipso significant pares & similes simul debere dominari; præsertim si boni sint & prudentissimi. Hoc argumentum efficax est pro Aristocratia.

Iuris scripti & non scripti meminit Aristot. i. Rhetor.

Regnant ipsi reges ex consilio prudenti.

Regna hæreditaria Aristoteli suspecta.

In Politico.

Qui Nomophylaces.

Ad Cap. decimumseptimum.

DOcet primò varias esse hominum ad Politiam propensiones. Alios enim facile seruili & despotico imperio subesse, vt sunt barbari, de quibus lib. 1. Polit. alios spontè regio imperio parère, alios aristocratico, alios ciuili. Secundò, tria bonæ reipublicæ genera, regnum, aristocratiam, & rempublicam esse secundùm naturam; alia verò tria his opposita, contra naturam. Tertio, quæ superiori capite dicta sunt contra regnum, vera esse in reipublicâ ciuili & populari, quæ est bonarum postrema; quia ciues in eâ omnes pares sunt, quibus ideo omnibus iniustum est, vnum imperare. Quarto, si quis vnus extet inter ciues, adeo illustris, & excellens; qui virtute, sapientiâ, & consilio reliquam multitudinem maximè superet; eum debere Regem esse, & omnium dominum: & id quidem iure *ἡσυχίας & τῆς ἀρετῆς*, præstantiæ, cui summus honor omnium opinione est deferendus. Alioqui si nunc vir ille præstantissimus imperaret, nunc vicissim pareret, vt cæteri ciues; pars esset par & æqualis toti; vel etiâ præstaret toti, quod repugnat naturæ, estque iniustum & contra leges iustitiæ distributiua. Partem verò sic totum superaturâ, hinc constat, quòd Heroïs illius virtus aliorum ciuium virtutes maximè superet; ita vt harum respectu, illa sit quoddam totum. Itaque si alius quispiam ciuis vno vllò Heroë longè quoad virtutis excellentiam inferior, ad imperium euehatur, vel etiam plures non magis excellentes, & tunc Heros ille vnus subsit & pareat, profectò pars, nempe ciuis ille, vel vnus, vel plures ad imperij summos honores, tunc euecti, totum, nempe Heroëm, non tantum æquabit, sed & dignitate superabit; quod est absurdum & iniustum. Esset verò multò iniustius illum necare, vel in exilium eijcere, vel teste iactu siue ostracismo, de quo suprâ, expellere. Debet ergo Heros ille, rex esse summus omniumque *ἀπλῶς* dominus.

Ad Cap. decimumoctauum.

Concludit, iisdem modis & artibus in Optimâ reipublicâ, vt est Regnum & Aristocratia, ciuitatem & virum bonum institui; cum optimæ Reipublicæ scopus sit virtus; atque adeo eandem disciplinam, institutionem, & mores eosdem esse, quibus vir bonus efficiatur, simulque Politicus, & Basilicus, siue Reipublicæ administrandæ, vel regno idoneus.

Tom. 3.



APPENDIX NOVA AD LIBRVM TERTIVM Politicoꝝ.

Quæstiunculæ complectens selectiores.

*An boni viri & boni ciuis eadem
sit virtus?*

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

LAudat M. Tullius lib. 10. epist. Trebatium Iurisconsultum, quòd fuerit & vir bonus, & ciuis bonus. Sed M. Cato dictus fuit vir quidem bonus, ciuis autem non satis bonus, vt & Anaxagoras, Empedocles, Thales Milesius, & cæteri sapientes, rebus politicis sese non immiscentes. Demosthenes contra, qui scilicet ciuis bonus fuerit, & in Rempub. suam propensus, vir autem bonus minimè. Itaut aliud sit esse virum bonum, aliud esse ciuem bonum, generatim nimirum loquendo & simpliciter, vt vult Aristoteles cap. 4. lib. 3. Ex quo sequitur viri boni virtutem aliam esse à virtute boni ciuis. Hæc enim est animi certa dispositio, imo habitus probè gerendi officium in Republica prout ipse status ciuitatis, forma & constitutio postulat, nempe quia ad ciuitatem omnis cogitatio & cura boni ciuis refertur. At virtus viri boni est propria cuiusque perfectio ad frænandas cupiditates, animumque rectè componendum, ac bene viuendum destinata. Vnde virtus boni ciuis solam Rempub. spectat & consuetudinem ciuilem, atque obseruatiã legum politicarum. Viri autem boni virtus propriam cuiusque perfectionem, bonos mores, vitæque honestatē & integritatem includit. Præterea virtus ciuis est varia & multiplex, pro vario statu ac regimine ciuitatis, aliter enim institutus est ciuis Democraticus, aliter Monarchicus, cū vtriusque variæ sint leges & diuersissima instituta. At viri boni eadem est in omnibus viris probi virtus, eadē honestas & integritas; imo ciuium in eodem statu Reipublicæ virtutes necessariò sunt diuersæ, cum ciues diuersæ sint conditionis & ordinis; virtus autem politica sese ciuium sortibus accommodet. Sic enim magistratus siue eius qui præest, virtus, perfectior est virtute hominis priuati. Quod explicat Aristoteles similitudine saltatorum, quorum *κορυφαῖος* id est præfultor excellentiori virtute saltandi præditus est, quàm *πυργαῖος* qui Coryphæo adstat, estque eo inferior; & notum est virtutem ciuis diuersam esse à virtute senatoris; ciuium ergo virtutes diuersæ sunt: virorum

h ij

*Optimo
& sapien-
tissimo im-
perium*

Cap. 13. l. 3

*Viri boni,
& ciuis
boni eadē
est institutio.*

autem bonorum omnium omnino ac vbi-
que eadem est virtus. Non est igitur sim-
pliciter ac generatim eadem boni viri, &
boni ciuis virtus, siue virtus moralis simpli-
citer, & politica virtus, licet interrogatus
olim Zeno quo præsidio maximè ciuitas
indigeret, sapienter responderit, egere præ-
sidio virtutis, qui nimirum nullam verè
bonam rempublicam crederet, quæ esset
morali virtute destituta.

An magistratus debeat esse vir bonus?

QVÆSTIVNCVLA II.

Affirmat Aristoteles ca. 4. huius lib. vbi
ait eandem esse boni magistratus, siue
boni principis, & boni viri virtutem licet
generatim de omnibus ciuibus loquendo
non sit eadem virtus boni viri, & boni ciuis,
vt superiore quæstiunculâ fuit expositum.
Nempe quia recta ratio postulat, vt qui aliis
prælucent officij dignitate, seu imperio,
præstent & virtute, præsertim cum qui præ-
sunt populis Deum representent optimum,
& qui summus & hominum, rerumque om-
nium princeps ac Dominus. Sed & in finè
cum Nomothetæ leges tulerunt, vt suos
ciues efficerent bonos & iustos. Hinc enim
suas Deo leges ac institutiones attribue-
runt, tanquam earum authori; vt cum bo-
nas eas esse persuasissent, facilius ad eas
obseruandas homines adducerent. Et qui-
dem philosophi sapientésque omnes vt Pla-
to, Socrates, & alij pietatem ac iustitiâ siue
potius omnem virtutem docuerunt esse im-
periorum stabile fundamentum; ac pro-
pterea magnanimus ille Carolus nonus
Rex Galliarum Christianissimus colum-
nas duas in se complicatas, adiecto hoc
noëmate, Pietate & Iustitiâ, tanquam illu-
stre piumque symbolum amplexus est, vt
significaret regna & imperia Religione,
quæ homines Deo iungit; & iustitia quæ ip-
sos homines tuetur & consociat, optimè
stabiliri ac consistere. Sed & illud de Au-
gusto narratur, bonos principes, Deos etiâ
neri. Quid enim sine iustitiâ, aiebat D. Au-
gust. regna aliud sunt, quàm magna latro-
cinia? Appellat M. Tullius in paradoxis
ius & æquitatem vincula ciuitatum: idip-
sum verò adhuc ex eo intelligitur, quòd vt
Historici docent beatæ fuerunt ex ciuita-
tes, imperia & Respublicæ quibus viri sa-
pientes & boni vt Moses, Iosue, David, Sa-
lomon, Iosias, Numa, Codrus, Lycurgus;
infelices autem quibus mali stultique ac
fæui principes vt Sardanapalus, Nero, He-
rodes præfuerunt, aut religionis ac virtu-
tum contemptores. Quare respuenda est
tanquam pestifera prorsusque impia Ma-

chiauelli scribæ Florentini recentioris Po-
litici, doctrina, qui non veram virtutem, aut
religionem, sed fictam & simulatam tantum
in suo, Principe requirit, & dolos malos
fraudes, sophismata artésque regnandi pes-
simas consulit, iusque violandum docet
regnandi gratiâ, vt ille profanus Cæsar di-
ctabat.

Quid & quotuplex Respublica?

QVÆSTIVNCVLA III.

Definitio Reipublicæ Aristotelis est
deiusmodi, ὅτι ἡ πολιτικὴ πόλις τῆς πό-
τε ἀλλῶν ἀρχῶν ἢ μάλιστα τῆς κρείας πάντων. Res-
pub. est ordo ciuitatis, cum in aliis magistra-
tibus, tum in eo maximè, qui omnium est
princeps ac summus, vt si consideres varios
Galliæ magistratus, ita vt tamen eorū sum-
mum videas esse monarchicum statum,
speciem Reipublicæ Gallicanæ intelliges
esse regnum. Porro, per ordinem intelli-
genda est directio, siue ratio administrandi
rempublicam secundum leges scriptas, vel
non scriptas. Est autem Respublica gene-
ratim duplex, recta, & vitiosa: quæ diuisio
petitur ex modis imperandi. Vel enim im-
perans vtilitatem publicam spectat, vel pri-
uatam. Si prius, existit imperium rectum; si
posterius, vitiosum.

Rectum vero triplex, Regnum, Aristoc-
ratria, & Respublica specialis, siue pote-
stas populi.

Vitiosum etiam triplex, Tyrannis, Oli-
garchia, Democratia, siue Anarchia. Enim-
vero genera omnia speciésque regiminum
ad sex illas formas reuocantur siue simpli-
ces sint, siue mixtæ, vel compositæ ex plu-
ribus.

*Quisnam sit optimus Reipublicæ status,
aut regimen?*

QVÆSTIVNCVLA IV.

Pro imperio multitudinis disputat Ari-
stoteles cap. 7. lib. 3. Politicorum, &
cap. 15. vt enim cœna eo lautior est, inquit,
quæ multorum sumptibus atque symbolis,
quàm quæ vnus impensis paratur: sic pru-
dentia multorum melior est iudicio pau-
corum: si enim bonus vnus, duo meliores
sunt, plúsque vident oculi quàm oculus:
multorum manibus grande lenatur onus: vox
populi, vox Dei: vt plures musici de har-
monia meliùs iudicant, quàm vnus, & de
arte poëtica vniuersi, quàm singuli; sic
proborum sapientumque iudicia meliùs
gerent

gerent ciuitatem quàm vnus, aut duo boni.

Sed quia vix vnquam fit, vt multitudo popularis adeo prudens sit & iusta, vt bonum publicum perpetuò procuret, ideo populi gubernationem diminuit Aristoteles, atque optimates paucos, nempe honestos viros, bonos, sapientes fortes, doctos, prudentes, rebus ipsis verè pulchris: popularem vero turbam figuris tantum & imaginibus comparauit. Quare in Aristocratiam magis propendere videtur: nec id quidem immeritò, nam in Aristocratia confusio multitudinis popularis timenda non est, neque vnus hominis præceps ac temerarium iudicium, fauor, sæuitia, libido, subeunda: omnia ab optimis viris prudenter, fortiterque geruntur sine metu, sine motu, quasi res Deorum iudicio, id est sapientissimè perageretur. Neque id mirum esse debet; nam maior in Aristocratia quàm in Monarchia cernitur prudentia, estque in optimatibus magis vnita virtus, ideòque fortissima & inexpugnabilis: at vnus vir nullus vir, & facilius est vnum corrumpi & peccare quam multos. Denique ciuitatibus maximè vtilem esse Aristocratiam, imo Monarchiam vtiliorem affirmat Aristoteles, quod ante ipsum Plato docuerat, qui formam Reipub. optimam eam esse putauit, quæ inter Monarchiam & popularem dominationem media est.

Certum tamen est Monarchiam siue regnum omnib. aliis Reipublice formis (absolutè loquendo) esse præstantius. Enimvero si Aristocratia hinc laudem habet supra populi dominatum, quòd in illa ad prudentiam pauciorum, vnde maior existit concordia, omnia referantur. Quidni & Monarchia omnium prima optimaque censebitur, quæ rem omnem ad vnus eiusque optimi & prudentissimi fortissimique regis imperium reuocat? Secundò frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè bene: atqui vnus Rex qui scilicet sit optimus & sapientissimus est instar omnium, præsertim si in rebus grauioribus consilium audiat optimatum, neque enim regia ideo minuitur authoritas, quòd optimates in consilium rex aduocet, cum summa rerum semper stet penes regem, & potestas optimatum ab vno rege dependeat; qui iubeat sententiam dicere ac liberrima ferre suffragia. Tertio si duo velint esse soles, aiebat Serrimus, periculum est ne incendio omnia misceantur, præstat ergo vnum esse regem. Quarto Monarchia pondus & authoritatè addit antiquitas, constat enim antiquas gentes regibus primùm paruisse vt ait Cic. 3. de legibus; sic in terris nomen imperij primùm fuit, inquit Salustius in bello Catilinario: & principio rerum gentium nationumque,

imperium penes reges erat, inquit Iustinus lib. 1. Urbem Romam inquit Cornelius Tacitus, primo annalium, à principio Reges habuere. Et certè regna firmiora sunt & diuturniora alio quolibet regimine, vt enim antiqua, quæ diutissimè floruerunt præmittam; profectò Galli Monarchia & regum amatores ac vindices plusquam mille & ducentos annos continuos vnus regis dominatum sceptrumque coluerunt atque etiamnum colunt. Hispani plusquam 860. Angli etiam & Scoti Monarchiam fortiter defenderunt. Imo verò Aristocratia & Politia stare non possunt nisi subsidiis Monarchia, aut aliquà regis imagine sustineantur. Lacædemonij præter Ephoros, vnum Præfectum habebant: Athenienses præter Censores, vnum Sophum. Carthaginenses præter Cosmos, vnum iudicem: Romani præter Consules, vnum Dictatorem. Denique Venetorum Status qui hodie Aristocraticus existimatur vno Duce floret ac subsistit. Quintò si dignitas & perfectio regiminis ex ordine exquisito vt par est, æstimetur, primas etiam vel hoc iure Monarchia obtinebit. Nam in populari statu vix ordo seruatur, in quo scilicet omnes præsumunt. In Aristocratico autem minor quàm in Monarchia, ordo reperitur. Licet enim in Aristocratia populus magistratibus subijciatur, inter ipsos tamè optimates nullus est ordo, cum sint omnes æqualis potestatis, & par in parem non habeat imperium: At in Monarchia ordo seruatur admirabilis, in qua scilicet rex vnus imperet, reliqui obtemperent. Itaque sicut Aristocratia defensores aiunt, vnum facile peccare, sic nos facilius esse dicimus cum Aristotele 1. & 3. Polit. vnum virtutè excellere, quàm multos. Rari quippe boni, vix sūt numero totidem quot Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili, vt cecinit Iuuenalis. Esto Aristocratia conciliū ac veluti cætus Deorum, est tamen vnus, qui omnibus præest, quasi Rex. Sunt verò reges viua Dei imagines, & quasi dii quidam inter cæteros. Accedit authoritas Platonis in Polit. & Aristotelis cap. 2. lib. 4. Polit. qui aiunt Monarchiam omnium esse gubernationem præstantissimam, quæ ideo ipsa natura constituit in apibus quarum pulcherrima regnum tenet; in animalibus quadrupedibus, quorum Leo rex est; in piscibus, quorum rex est Delphinus; in auibus, quarum Regina aquila, vt oliua arborum, adamas lapillorum, aurum metallorum, ignis elementorum, sol syderum, & planetarum: Quòd si vnus est in familia herus, nec quisquam possit duobus dominis seruire, vt dixit Christus Dominus, si ab vno gubernatore seu nauclero foeliciter regitur nauis; quidni & ciuitas aut imperium ab vno? Denique perfectissimum est illud

Reipublicæ genus quod ad diuinam politiam magis accedit: At Monarchia magis accedit ad diuinam politiam. Deus enim vnus rerum omnium rex est ac moderator. Sed cum humana Monarchia magnopere iuuetur optimatum operâ & consilio, locum quemdam optimatibus dandum esse putant sapientiores: ita ut & Monarchia securior existimetur, quæ Aristocratico regimine aliquo modo temperatur. Quod sanè voluisse videntur Aristoteles & Plato, cum dixerunt illam formam regiminis, quæ media est inter regnum & rempub. ciuitatibus esse vtiliorem. nam per mediam illam formam, non puram Aristocratiam, sed regno mixtam, ipsique regi subiectam intellexerunt: quæ gubernandi forma procul dubio omnium securissima est ac præstantissima.

Debeat-ne ostracismus approbari, aut admitti in Republica?

QVÆSTIVNCVLA V.

EXilij genus erat ὀστρακισμός apud Athenienses, quo potentiores, fortiores & illustriores ciues, quique opibus, gratiâ, fauore & amicis plurimum valebant, aut etiam virtute excellabant, quasi reos eiciebant, ad decem annos, ne nimia præstantissimorum illorum virorum potestas Reipublicæ statum perturbaret; dictum est autem illud exilium ὀστρακισμός ex formâ & modo condemnationis. Solebat enim populus Atheniensis nomen illius viri quem tali exilio mulctabat, in testâ præscribere, deinde τὸ ὄστρακον ἐπιγράψαι, inquit Plutarchus testamittere in ligneam casam, quæ in publico loco ciuitatis eo fine exstruebatur. Etenim testulis utebantur Athenienses loco calculorum, ut notauit Erasmus in chiliadibus. Quæritur ergo an ostracismus sit approbandus, nec-ne? Rectè respondet Aristoteles cap. 13. huius libri, non esse in vitiosis Rebuspub. ut Democratiâ, Tyrannide, & Oligarchiâ nimiam excellentiam siue exuperantiam: quæcunque tamen illa sit, non esse ferendam, atque adeo ostracismum illis expedire. nempe quia sapius contingit, ut viri summæ potentia, Reipub. statum immutent, omniâque ad se faciliè conuertant: ita ut principatum videantur affectare. Hinc ergo Athenienses Democratici, Themistoclem, & Cinonem, Alcibiadem, Aristidem viros illustrissimos ciuitate suâ expulerunt, Romani Scipionem. Et est in fabulis Argonautas Herculem eiecisse, quod illis esset longè fortior & potentior. Sic & Tyranni priuatæ suæ utilitati consulentes, viros sapientiâ, fortitudine, prudentiâ, iustitiâ, diuitiis potentes exegerunt, vel truci-

dârunt: quod exemplo Periandri Corinthiorum, Thrasylbuli Milesiorum Tyranni, declarat Aristoteles in textu. Cum enim hic ab illo consilium peteret de potentioribus dynastis & viris sua in Monarchiâ illustrioribus, nihil quidem ille respondit; sed circumsegetes ambulans Periander, præsentibus Thrasylbuli legatis spicas eminentiores præcidit, easque cæteris æquauit, significans viros potentiores ac præstantiores è ciuitate esse tollendos. Quod Periandri consilium sequutus est postea Tarquinius Superbus ut notat Lilius lib. 1. Denique & id ipsum Oligarchiæ confert, si nimirum nimia sit ciuis alicuius virtus aut potentia ciuili, eam debere coerceri, quia hinc periculum est, ne imperio ad hunc vnum deuoluto Reipub. præsens status peruertatur. Præterea etiam in vrbes quoque castella, arces, gentes, nedum in singulos viros, consulit Aristoteles pari ratione esse animaduertendum. Vt scilicet si aliqua vrbs extet è multis, vni imperio subiectis nimium potens, ea sit maturè minuenda. Sic enim Athenienses prudenter repressere Samios, Chios, Lesbios. Sic reges Persarum minuerunt Medos & Babylonios. Romani Campanos; quod politicum consilium est profecto notatu dignissimum, cum sit momentî longè maximi. Sed & in rectis Rebuspublicis Ostracismum probat Aristoteles, vbi metus est inuolutionis, aut publicæ perturbationis; ut enim Pictor pedem depicti animalis resecat, imminuitque si grandior est, licet alioqui pulcher sit, & bene conformatus: nempe quia iustam non seruat proportionem cum ipso animali, nec illius pedi aptari & conuenire potest. Item ut chorodidascalus, siue magister chori musici vocem eam minuit tollitve, quæ reliquas nimium superat, licet per se clara sit & suavis: sic qui nimis potentes sunt in Republica, ij omnino reprimendi sunt, & potentia suâ ciuili, opibus, diuitiis, fauore, vel amicis, prudenter minuendi. Præstantia autem virtutis amanda potius adorandaque est, quàm ambigenda, cum ei ut talis est debeatur imperium, nec ab eâ periculum vllum imminere possit Reipublicæ. Ergo in virtutem simpliciter cadere non debet Ostracismus, cum ab eâ nihil periculi imminet ciuibus.

Est-ne Rex legi præferendus, an lex Regi?

QVÆSTIVNCVLA VI.

VTriusque causam agit perbellè Aristoteles in textu quasi dialectico more, vbi & pro rege disputat, & pro lege; & sanè vtrique multum tribuit, ut in synopsis annotaui

taui, statuit tamen legem quidem esse optimam ob præcepta vniuersalia, & quia iræ ac cupiditatum siue passionum & pathematum animi expers est. Sed Regem interm omnino esse necessarium affirmat, vt legis defectum suâ prudentiâ & æquitate suppleat. Itaque regi & legi simul iunctis concludit deberi imperium. Imo verò si Rex sit vt pat est, optimus & iustitiæ obseruantissimus, nullâ lege aliâ opus esse, cum ipse sit viua lex, vt vult Aristoteles, & suo exemplo subditis præluceat, eosque regat seruet, tueatur & ad cultum virtutis potenter excitet, cum sit patriæ pater, Medicus, Nauclerus, pastor bonus vt eleganter declarat ac differit in textu Aristoteles; & certè iusto ac prudens non est lex posita, ipse enim sibi lex est, dicitque ius, vt est in sacris literis.

An regna hereditaria sint meliora iis quæ electione creantur?

QVÆSTIVNCVLA VII.

AMbigit & addubitat Aristoteles cap. 15. huius libri, nec clarè decernit, hoc tamen ait perniciosum esse, si quilibet regū filij, putâ degeneres & improbi, regnum suscipiant; vt contrâ difficile esse, quin reges filiis suis imperium tradant, cum omnium rerum sint Domini. Paternum autè amorem siue *σοφῶν* reprimere, virtutis sit heroicæ & plusquàm humanæ. Quo in loco notatū digna est Aristotelis sententia, qui virtutem tanti facit, vt eam solam regnare velit, aut saltem esse primam & præcipuam regnandi rationem & fundamentum. Vt verò quæstioni satisfaciam, respondeo breuiter regna hereditaria quæ scilicet successione & iure natalium, *ἐκ γένεως* obtingunt, esse meliora iis quæ *ἐκ τῆς ἐπιλογῆς* sunt, siue optiua & ex electione. Primò, quia filij paternorum bonorum sunt heredes. Secundò quia tolluntur seditionum causæ, quæ plurimæ ex electione scaturiunt, electio namque multis rixis & contentionibus obnoxia est. Cùm electores ipsi non rarò ducantur auaritiâ, fauore, gratiâ, vindictâ, suisque propriis affectibus: successio autem omnes istas noxas amoueat & amputet. Tertio, Rex pater qui sibi successurum intelligit filium, maiorem regni curam gerit, filium diligentissimè erudendum tradit præceptoribus sapientissimis in optimis artibus, in optimè regnandi finem; & sic filius successor, paratior accedit ad regnum. Quarto, quia sacra litteræ successorem magis approbant, quàm electionem: vt constat ex Leuitis & Regibus; certòque illud constat Regum Israeliticorum successionem, à

Dauidè ad Christum vsque Dominum durasse ac permansisse. Huc pertinet illud Cornelij Taciti, non classes, non legiones perinde firma imperij esse munimenta, quàm numerum liberorum: nempe quia, cum filios patribus suis æquum sit succedere, quò plures fuerint, eò tutius ac constantius erit imperium siue Regnum.

Desiderantur verò ad iustam successionem iudicio peritorum Politicorum quatuor omnino conditiones. Prima est, vt successor vir sit, non fœmina: quæ conditio in Gallicanâ Monarchiâ planè necessaria est, vt quæ lege Salica vt aiunt, ac in regno ipso fundamentali nitatur. Licet in aliis quibusdam regnis, vt Angliâ & Hispaniâ non vsque adeo necessaria iudicetur, vbi scilicet mulieres regnum obtinent, licet Hispania ferè nunc videatur muliebri iugū excussisse. Secunda, vt non sit peregrinus, oportet enim, vt est in sacris litteris, Regem de gente suâ assumere. quæ tamen conditio non seruatur in quibusdam Monarchiis, vt apud Polonos, qui externos principes eligunt, assumuntque in Reges, sed id fit electione, vt constat de Henrico III. Rege Galliarum, qui antequam in Galliâ regnaret, iam in Poloniâ electus regnauerat. Tertia, vt non sit deformis sed speciosus formâ præ aliis, cùm pulchritudo digna videatur imperio: iuxta illud Euripidis in Phœnissis, *καὶ τὸ εὖ εἶδος ἀξίον τυραννίδος*. Sed hæc conditio meo iudicio ferè inanis est & friuola, nisi forte de pulchritudine animi, id est de sapientiâ virtutè, pietate & iustitiâ intelligatur, aut nisi cum virtute ornamenti gratiâ desideretur, nempe quia gratior est pulchro veniens è corpore virtus, & quia deformitas, malâque corporis conformatio displicet & contemptum parit. Quarta, vt sit legitimus, non spurius, quæ conditio non parui est momenti, propter regis maiestatis, quæ imago est diuinitatis, dignitatem ac splendorem, qui alioquin vitio natalium, quasi congenitâ & naturali maculâ videretur obscurari. Hinc est quòd in Galliâ Monarchiarū florētissimâ, politissima & Christianissimâ diligenter ac perpetuâ obseruantiam retinetur; & certè spurios homines atque ex illegitimo concubitu natos paternis bonis honoribusque, nedū regiâ dignitate, aut Imperio & republica ipsa indignos putauere veteres, & ipse Aristoteles notauit lib. 14. Polit. c. 6. propter natalium infamiam, labemque eiusmodi, quam delere minime vnquam nothi ipsi possint, ideo enim Solon statuit, spurios nihil debere parentibus, à quibus scilicet labem infamis originis contraxissent. Sed & designatus erat olim apud Athenienses locus quidam & palestra siue Gymnasium publicum, Cynosarges appellatum, in quo spurij adulescentes seorsim

ab ingenuis ac nobilibus exercebantur. Quamquam Themistocles Atheniensium Dux inclytus astuto vit ingenio, & spurius ipse, vt eam spuriorum & legitimorum differentiam tolleret, nobiles ac ingenuos adolescentes paulatim blanditiis allexit ad Cynofarges. Atque in eo quidem loco ac Gymnasio Philosophiam olim Professus est Aristippus sectæ Cyrenaicæ princeps vt testatur Laertius. Tamen si verò probrosa fit, odiosa & vulgò explosa macula nataliū, atque spuris licet fortibus, generosis, ac prudentibus obtemperare pudeat ingenuos ac nobiles viros, neque possint Republicæ bene moratæ bonisque fundatæ legibus illegitimos Duces ferre aut sustinere, constat tamen spurios extitisse non paucos, qui fortitudine, prudentiâ & animi dexterritate, & sapientia legitimis quibusque liberis antecelluerunt. Quales scilicet fuerunt Iouis filij in fabulis decantati, vt Hercules & alij, qui quia spurij erant, à Ioue procreati fingebantur. Sed & eo de numero fuerunt ille laudatus Themistocles, Æneas, Theseus, Romulus, Alexander Magnus, imò Constantinus Magnus, Theodoricus Gothus, Guillelmus Normannus, Dux Normanniæ, Arnulphus qui primus & ante Othonem ex Galliâ in Germanicum Imperij titulum transtulit spurius ex Caroli Magni pronepotibus, & Reges quidam in Cyprio, Ducésque alibi passim, vt verissimum sit illud Platonis oraculum, seruos à Regibus, Reges à seruis oriri. Sed ea de re satis atque etiam de Quæstiunculis ad librum tertium Politicorum.

LIBER QVARTVS Politicorum.

Habet capita sedecim, vbi de Republica, tertio genere rectæ πολιτείας, Democratiâ, Oligarchiâ, Tyrannide; Deinde de summis ciuitatum partibus, Senatu, Magistratu, & Iudiciis.

Ad Cap. primum.

Statuit, Politicum quatuor scire debere. Primum, quæ sit optima Reipublicæ forma, & omnium ἀρχὴς præstantissima. Secundum, quæ sit optima pro rebus subiectis, & copiis presentibus. Tertium, Reipublicam sibi oblatam qualiscunque sit, probè nōsse; tam quomodo ab initio constituta fuerit, quàm quomodo iam constituta, possit diu conseruari. Quartum, quæ Respublica seu Politia sit inter homines communior, & plerisque accommodatior. Hoc probat artium & scientiarum exemplo, quæ non particulares quidem sint, vt sūt luctatoria, & gladiatoria respectu Gym-

Quæ & quos oportet scire Politicū.

nastica; Therapeutica externorum morborum, & Therapeutica internorum, respectu Medicinæ; sed quæ sint perfectæ & totales & μετὰ νόον, vt ipsa Gymnastica, Medicina. Hæ enim de suis obiectis quatuor illa eodē modo considerant. Medicina enim nōsse debet, Primò optimum simpliciter sanitatis gradum, & perfectam illam qualitatū ἰσορρομίαν, corporis συμμετρίαν, partium cohesionem & ordinem. Secundò, eam sanitatis rationem quæ in his & illis optima reperitur, pro conditione subiectorum. Tertio, quamlibet sibi propositam, vt eam tueri possit aut emendare. Quarto, eam quæ cōmunior sit inter homines, vt circa eam, cū opus erit, ex arte negotietur. Eandem igitur esse in arte Politicâ rationem significat, quæ scilicet ars sit perfectæ & totalis, quæ non ἐκ μέρους, de parte aliqua aut specie vna Reipublicæ; sed de omnibus generibus differat, & gubernationum modos omnes ac discrimina accuratè persequatur.

Ad Cap. secundum.

Repetitis breui epilogo iis quæ suprâ de Regno & Aristocratiâ, communique Reipublicæ diuisione in rectam & vitiosam docuerat; statuit de tertio genere rectæ Reipublicæ quæ nomine totius solet significari, deinceps esse considerandum: itēque de Oligarchiâ, Democratiâ & Tyrannide. Vbi notat vitiosarum pessimam esse Tyrannidem; vt quæ sit τὴν πρῶτην ἐξ ἀνομιᾶς παρὰ νόμον, plena & diuinissima, id est, Regni, digressio. Democratiâ verò inter malas μετὰ νόον. Tum futuræ tractationis methodum constituit; & quibus de rebus, quæque ordine sit dicturus, explicat.

Tyrannii pessima.

Moderatissima Democratiâ.

Ad Cap. tertium.

Probat esse diuersæ gubernationis seu Reipublicæ formas, ex eo quòd sint multæ partes ciuitatis, id est, ciuium varij ordines: putà diuitum, pauperum, nobilium, ignobilium, armatorum, inermium: & de populo quidem alios esse agricolas, alios mercatores siue institores, ἀγοραῖους, alios opifices. Vbi notat, τὸν γυναικῶν, id est, nobilium, varios gradus, vnum ex diuitiis, & maximè eâ copiâ quæ οὐδὲς ἰσὺς ποσειδῶν, ad equos alendos, sufficiat; alterum ex genere; tertium ex virtute. Hinc arguit eos qui duo tantum Reipublicæ genera Oligarchiam & Democratiâ, quasi duos principes ventos, Aquilonem & Austrum; aut quasi duo harmoniæ genera Dorium & Phrygium statuerant, ad quæ alia referrentur. Etenim ex partium ciuitatis dissimilitudine, quæ diuerso modo gubernantur, Rerumpublicarum varietas debet estimari, de quâ dictum suprâ, vbi tres recte, totidem vitiose stabilitæ fuerunt.

Nobilium gradus tres.

Ad

Ad Cap. quartum.

Statuit 1. definiendam esse Democrati-
 am ex dominatu liberorum & paupe-
 rum, numero superiorum: Oligarchiam ex
 imperio diuitem, & nobiliorum, numero
 pauciorum. Notat obiter, in Æthiopia su-
 premos honores iis mandari solitos qui
 corporis magnitudine præstant. Secundo
 repetit, plures esse Reipublicæ formas; quia
 sunt diuersæ partes ciuitatis, similitudine
 petita à diuersis formis siue speciebus ani-
 malis, quæ tales constituuntur pro diuersa
 partium ratione. Vt quia partes motui con-
 secratæ (vt partes nutritiæ & sensuum or-
 gana mittamus) variant in animali: sunt
 enim pedes in homine, alæ in aue, pinna in
 pisce; & rursus in homine bini pedes, in be-
 stiis fere quaterni, & rursus in quaternis alij
 fissi, alij solidi; ideo varia animalium ge-
 nera distinguuntur; sic in re ciuili variant
 Respublicæ secundum genera, quæ etiam
 genera in suas alias species pro partium ci-
 uitatis varietate & multiplici coniunctione
 diuiduntur. Comparat verò Aristot. alio
 loco, vt cap. 10. lib. de Comm. motu ani-
 mal. animal cum ciuitate. Ibi enim ait ani-
 mal esse, *πόλις ἐνομοειδὴν*, ciuitatem bonis le-
 gibus constitutam. Tertio ciuitatis partes
 enumerat, quas octo hîc quidem facit, li-
 bro autem septimo sex. Prima est agricola-
 rum, quæ pars alimenta parat: Secunda opi-
 ficum. Tertia mercatorum, siue taberna-
 riorum. Quarta mercenariorum, vt baiu-
 lorum. Quinta militum. Sexta iudicum,
 qui ius cuique reddunt: quæ pars est veluti
 anima Reipublicæ. Septima diuitem, qui
 apud Græcos suis sumptibus onera mu-
 neræque publica gerebant, quos sumptus
 vocabant *leitourgias*, ideoque hanc partem
 vocat hoc loco Aristot. *τὸ τῶν ὑπὸ τῆς λειτουργίας*.
 Octaua magistratum, quam partem vo-
 cat, *τὸ δημοκρατικόν*, & *πρὸς τὰς ἀρχὰς λειτουργίας*.
 Aitque necessarios esse Reipublicæ, *τὸν*
λειτουργίας τῆ πόλεως τῶν ἄλλων τῶν λειτουργίας. Ex
 quo loco intelligitur, *λειτουργεῖν*, esse idem
 quod publicum munus obire. Et *λειτουργίας*,
 esse publicum ministerium. Licet Eccle-
 siastici scriptores vocabulum hoc vsurpent
 pro Ecclesiastica functione, siue diuino
 ministerio, eoque publico, vt pro suppli-
 cationibus, & missæ sacrificio, sacræque Eu-
 charistia, Quarto reprehendit Platonem,
 qui partes Reipublicæ eas tantum consti-
 tuat, quæ ad vsus necessarios requiruntur,
 non etiam ad liberales, & qui eodem lo-
 co ponat sutores quo agricolas: qui omit-
 tat milites, iudices, consiliarios, hos qui-
 dem omnino; illos verò, quamdiu ciuitatis
 imperium & ager non fuerit dilatatus.
 Quinto Democratiæ genera explicat di-
 uisus primò ciuibus in duas summas partes,
 plebem scilicet & nobiles. Et plebis qui-

dem sex partes facit, agricolas, opifices,
 mercatores, nauticos, mercenarios, & li-
 beros, sed non ex utroque parente citi-
 natos. Nobiliū verò quatuor ponit genera, ex
 diuitiis vnum; ex generis antiquitate alte-
 rum; ex virtute tertium; ex doctrina & eru-
 ditione quartum. Primum ergo Democra-
 tiæ genus, illudque maximè proprium est,
 in quo omnes ciuitatis incolæ etiam inqui-
 lini & aduenæ ita sunt æquales, vt singuli
 honorum & magistratum sint participes,
 nec diuites maiori in pretio sint, quàm pau-
 peres. Secundum, in quo magistratus fiunt,
 ἀπὸ τῶν πικνιάτων, ex censibus, ita vt in eo ge-
 nere ij ciues, qui rem non habent, magi-
 stratum non obtineant. Tertium, in quo
 ciues ij rem gerunt, qui sunt ἀπὸ τῶν εὐνοῦν, id
 est, qui nihil habent quod eis obijciatur, &
 quo excludantur, ita tamen vt lex domi-
 netur. Quartum, vbi omnibus magistra-
 tum obtinere licet, dummodo sint veri ci-
 ues, non nothi, non imperfecti, aut ascitij;
 lege tamen semper dominante. Quintum,
 vbi præter prædicta paria populus domi-
 natur, non lex. Quod fit dum multitudinis
 decreta, quæ dicuntur *ψήφισματα*, recipiun-
 tur, imperiūque tenent, adiuuantibus
 Demagogis, id est, populi oratoribus; qui
 in ea Democratia in qua lex imperat, nulli
 sunt: quod ibi lex potius, quàm multitudo,
 (quæ oratorum eloquentia facilè persua-
 detur flectiturque,) teneat dominatum.
 Vnde quintum illud genus tyrannicum est.
 Quod enim sunt erga Tyrannum *κόλακας*,
 adulescentes, hoc sunt erga populum, (tunc
μολαρχοί, si non sigillatim & distributiue, sal-
 tem collectiue & vniuersim sumptum,)
 oratores. Et quod hîc decreta popularia,
 siue plebiscita, *ψήφισματα*, illic sunt edicta
ἐπιτάγματα: ideo Democratia hæc non est
πολιτία vera, atque adeo nec propriè, nec
κρείως Democratia. Nempe quia vbi leges
 non imperant, non est politia. Cui Aristoteli
 sententiæ concinit Chrysippus apud
 Iurisconsultum lege 2. ff. de legib. Vbi ait
 legem esse omnium dominam & Regi-
 nam; intellige scriptam, vel non scriptam;
 humanam, vel naturalem.

Ad Cap. quintum.

Distinguit Oligarchiam in sua gene-
 ra. Primum ait esse, in quo magistra-
 tus dantur ex censibus adeo magnis, vt
 eorum participes esse nequeant pauperes,
 diuitibus longè plures. Secundum cum
 μὴ μακρῶν, (sic enim legendum est in tex-
 tu non *μικρῶν*, vt Lambinus, cum in hoc
 genere census sit priore maior, non tamen
 absolutè magnus: Itavt in secundo plus
 Oligarchæ siue pauci dominatores sibi su-
 mant, quàm in priore; licet non multum
 simpliciter,) ex non magnis censibus qui-
 dam assumantur in magistratus, & in

Plebei or-
dines sex.Nobilium
ordines
quatuor.Genera
Demo-
cratiæ.Genera
Oligar-
chiæ.Emendatio
textus cō-
tra Lam-
binum.

demortuorum locum sufficiuntur & cooptantur. Tertium, in quo filius succedit patri. Quartum, in quo maximi census ratio habetur, legis nulla; ita ut per paucos, contemptis legibus dominantur: quod genus *δυναστεία*, vocant, ut ex cap. 11. huius lib. & ex lib. 5. patebit, estque tyrannicum.

Ad Cap. sextum.

Statuit tot esse Democratia, quot Oligarchia genera, nempe utriusque quatuor. Primum enim Democratia genus cap. 4. explicatum quasi nullum, (quia inusitatum & rarissimum sit aduenas etiam & inquilinos imperare, pratermittit. Deinde reddit rationem, cur in Democratia generibus priora ideo differant ab ultimo, quod in hoc, popularis & plebeia multitudo imperet, in illis vero leges: nimirum quia in ultimo, merces proposita sit Republicam gerentibus; in prioribus, nihil. Atque id quidem, quia in ultimo vberiora sunt & ampliora publica vectigalia, priuatorum minora; in prioribus, contra; eo quod scilicet hoc in maximis ciuitatibus reperitur, quarum maiora esse solent vectigalia; & in eo omnes infimi, & fœx ciuitatis dominantur, mercenarij, opifices, proletarij, quorum nullus vel exiguus est cœsus. At in prioribus: quia & minores sunt vrbes, in iisque agricolæ, pastores, mercatores & nautici dominantur, sit ut publica vectigalia sint minora, priuatorum maiora. Primi ergo Democratici suis rebus vacantes, imperium legibus facile permittunt; vltimi autem inopiâ coacti, ad Republicam gerendam alliciuntur mercede proposita, atque ut inde vitam sustentent. Dicuntur porro hæc pauperes *πολλὰ ἔχοντες*, otiosi, quia non occupantur curis, quas diuitiæ afferunt. His ita de Democratia expositis, eodem ferè modo de generibus Oligarchia statuit, rationemque affert, cur tria priora genera legibus administrantur, quartum paucorum arbitratu. Permittere ergo primos Oligarchicos quædam legibus, quia eorum sint modicæ opes, id est, non tantæ, ut iis otiosis esse liceat, aut curam rerum suarum non habere; nec tam exiguæ, ut ex publico sint alendi. Secundos etiam, licet aliàs in defunctorum locum sufficiant, aliquid tamen legibus relinquere, sed minus quam priores, quia ditiores. Tertios non omnia adhuc omnino gerere suo arbitratu. Licet enim imperia tradant filiis, ea tamen his relinquere lege primùm constituta. At quartos nihil legibus relinquere: esseque vltimæ Democratia, & Tyrannidi similes; quod maximas possideant diuitias, sintque ideo valde pauci magistratum & imperij participes.

Ad Cap. septimum.

Agit de Aristocratia, quam definit eam Reipublicæ administrandæ formam, quæ constat viris, non iis quidem ex hypothesis, comparatè, aut secundum quid, sed omnino, & simpliciter & absolutè bonis; in qua scilicet sola veræ virtutis habeatur ratio, idemque sit vir bonus absolutè & ciuis bonus. In aliis enim necessum non est viros esse bonos simpliciter, sed bonos huic vel illi Reipublicæ. Deinde ponit quatuor Aristocratia genera: Primum optimum, in quo virtutis solius ratio habetur: Secundum, in quo virtutis & diuitiarum: Tertium, in quo virtutis & libertatis, seu populi: Quartum, in quo virtutis, diuitiarum, & populi seu libertatis.

Ad Cap. octauum.

Agit de Republica speciatim dicta. siue de tertio illo genere rectæ Reipublicæ, quæ *πολιτεία* communi nomine vocatur; de qua iam supra l. 3. & infra etiam li. 5. Hæc summam & typo definit cinnum siue missionem aliquam *μίσθον*, Oligarchia & Democratia; siue id gubernandi genus, in quo ad Republicam gerendam, & magistratus capiendos aditus pateat tam pauperibus, quod est ex Democratia; quam diuitibus, quod est ex Oligarchia. Docet deinde Republicam specialem vocari interdum Democratiam, cum scilicet pars popularis imperat; interdum Aristocratiam, cum potentiores, nobiliores, & præstantiores, quasi in Oligarchia quadam dominantur. In Oligarchia enim præstantes & claros dominari hinc esse perspicuum, quod diuites liberali educatione instituantur, ac nobilitate splendant: quæ duæ res ad virtutem spectant. Non debere tamen specialem eam Republicam, quæ ad Oligarchiam inclinet, vocari Aristocratiam, probat; quod in Aristocratia sint leges optimæ, *ἡ ἐνομοία*, tanquam in optima regiminis forma; in Oligarchia non optimæ, tanquam in non optima. Vbi notat duplicem *ἐνομοίαν*: Vnam qua legibus scriptis pareatur; Alteram qua leges bene scribantur. Præterea finis Aristocratia est virtus, atque in eâ honores ex virtute mandantur: finis verò Oligarchia, diuitiæ; ut Democratia; libertas. Differt ergo maximè Aristocratia ab Oligarchia. Ait postea ratum id fixumque esse in omnibus Reipublicæ formis, quod maiori parti, id est, pluribus qui imperant, visum fuerit. Tum Republicam specialem multis ciuitatibus communem & vsitatam esse: quia in multis sunt locupletes & egentes. Item eandem Republicam diuitiis & libertate esse temperatam; quarum comes sit *ἐνομοία*, nobilitas. *ἢ ὅτι ἐνομοία ἔστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετῆς*. Est quippe, inquit, nobilitas antiqua diuitiæ, vel virtus.

Quid Aristocratia, & quæ duplex.

Quid Republica.

ἐνομοία duplex.

*Ad Cap. nonum.**Reipublica specialis modi.*

Declarat modos quibus Respublica specialis ex Oligarchia & Democratia temperatis, possit constitui, tanquam vtriusque cinnus ac permixtio. Illos autem tres facit, è quorum singulis, singula Reipublicæ specialis genera colligit. Primus modus est, in quo sic Oligarchia & Democratia temperantur, vt diuitibus quidem multa, *Ζνία*, pauperibus merces quædam attribuatur. Hinc primus cinnus siue primū Reipublicæ specialis genus. Nam in Oligarchia diuitibus multa, pauperibus nulla merces ad iudicandum & deliberandum de Republica; cōtra verò in Democratia pauperibus merces sua proposita est; diuitibus nulla multa. Horum ergo medium ac prædicta temperatio Reipublicæ primum genus faciet. Secundus, in quo ex temperato ac mediocri censu aditus pateat ad honores & magistratus. In Oligarchia enim maximus census requiritur ad imperij honores; in Democratia nullus, aut perexiguus. Hinc secundum Reipublicæ specialis genus. Tertius, in quo Oligarchiæ & Democratiæ instituta miscentur, & simul coniunguntur, vt designare magistratus electione & suffragiis, ex nullo censu. Est enim Oligarchicum magistratus designare suffragiis ex censu; Democraticum, sine censu. Sume enim de Oligarchia magistratum designationem per electionem & suffragia; ex Democratia, ex nullo censu: ex hoc cinnus & mixtione facies tertium Reipublicæ specialis genus. His explicatis admonet, optimam mixtionis primam notam esse, si Reipublicam eandem dicere possimus esse simul Democratiam & Oligarchiam, ita vt & vtraque & neutra videatur. Hoc enim accidere medio, in quo vtrumque extremum inesse videtur. Secundam, si per se conseruetur ac probè subsistat.

*Ad Cap. decimum.**Tyrannis triplex.*

Agit de Tyrannide, cuius genera tria constituit. Primum, barbaricum. Secundum, *Æsymneticum*. Vt enim hæc duo, Regna dicuntur, si sint legitima, & in volentes; sic & tyrannides appellantur, cum seruilia sunt, siue despotica, & ad imperantium libidinem geruntur. De quibus supra, lib. 3. Tertium maximè proprium *ἢ βασιλεία ἀνίσροφον*, in quo vnus *ἀντιπύδουτος*, sine prouocatione, aut correctione paribus imperat, iisque se melioribus, & ad propriam, non ad eorum qui parent, vtilitatem, qui idèo inuiti parent.

Ad Cap. vndecimum.

Differit de optimo Reipublicæ statu ac regimine, siue de optima gubernationis Politicæ forma, quæ non simpliciter quidè sit talis, cum hæc *ἔνδω* dumtaxat & in voto sit, aut idealis, potiùsque

optari & intelligi, quàm apud homines reuera esse possit; sed quæ pluribus ciuitatibus optima sit, & accommodatissima ad eam beatam vitam, quam possint ciues obtinere. Statuit verò eam esse Reipublicam optimam, quæ ciuibus constat mediocribus, qui scilicet sint neque nimium pauperes, nec diuites nimium, vtrique, vel singuli. Quia virtus est in mediocritate, ergo & beata vita: Respublica autem *βίος πρὸς μέλιος*. Sed & notum est, ciues opulentos esse insolentiores & contumeliosos; pauperiores verò malitiosos, fraudulentos, & in rebus paruis maleficos. Et hos quidem nescire imperare, sed potiùs seruile imperium, quod ciuitati nocet, subire. Illos verò nulli imperio parère, imperare autem despotico imperio. Erunt ergo præstabiliores & meliores ij ciues qui erunt mediocres, cum media ferè sint optima: Et præterea ciues illi mediij faciliùs rationi obtemperent, neque aliena bona, vt pauperes, appetant; neque eorum facultatibus alij inhiant. Non enim mediocrium sed diuitum potiùs bona à pauperibus expetuntur. Hic citat versum Phocylidis qui se medium ciuem optabat ob multa mediocrium bona.

*Πολλὰ μέλιον ἄριστον, μέλιος δὲ ἐν πλείοις εἶναι:**Esse volo medius: mediis sunt comoda multa.*

Secura est vita mediocrium, quia neque ij aliis volunt insidiari; neque iis alii insidiantur. Optima igitur est ea Respublica quæ à mediocribus illis molestisque ciuibus regitur, atque adeo beatissimæ sunt eæ ciuitates, vbi media illa ciuium pars maior est atque potentior. Sed hoc Reipublicæ genus raram esse docet, quia mediocrium numerus est exiguus; itaque fieri vt si plebs superet, existat Democratia; si pauci ditiores præstent, exoriatur Oligarchia. Atque idcirco vt plurimum vigere Democratiæ, & Oligarchias: quæ ratio est cur Aristoteles in his videatur diligentior. Concludit, Democratiam & Oligarchiam eam optimam esse, quæ illi mediocrium Reipublicæ sit proxima; vt deterrimam, quæ sit ab eadem alienissima.

Ad Cap. duodecimum.

Ponit Politicum præceptum insigne. Debere scilicet plus potentia in ciuitate habere eam partem quæ Reipublicæ præsentis incolumitatem amet, eaque contenta sit; quàm alteram, quæ eius forma manere nolit. Deinde in ciuitate duo esse, Qualitatem, nempe libertatem, diuitias, disciplinam, nobilitatem; & Quantitatem, nempe multitudinis exuperantiam, ita vt vna interdum pars ciuium qualitate præstet, altera quantitate. Sic enim contingit, ignobiles & pauperes sæpius præstare quantitate siue numero: Nobiles & diuites, & virtutis cultores, qualitate.

*Optima Respubl. ciuibus constat mediocribus.**Vita quædam est ciuitatis.**Præceptum Politicæ.*

Hoc posito statuit ibi esse natam Democrati-
 tiam, eamque ciuitati tunc optimam adue-
 nire, vbi pauperum multitudo præstat quã-
 titate, plusque potest quàm diuitem, aut no-
 bilitium opes. Cùm verò diuites & nobiles
 præstant, magisque qualitate excellunt,
 quàm superentur quantitate, ibi vtilissimam
 esse Oligarchiam. Et tales Respublicæ di-
 cuntur bonæ ex hypothesi, id est, respectu
 huius vel illius ciuitatis. Admonet hoc lo-
 co Aristoteles Politicum Nomothetam, vt
 leges sic temperet, vt eas ad medios ciues,
 de quibus suprâ, referat. Hinc enim fu-
 turam Rempublicam stabiliorem. Errare
 autem eos Politicos vehementer, qui Ari-
 stocraticas formas efficere volunt, plus tri-
 buendo diuitibus quàm egenis: vel etiam
 quod deterius est, populum circumuenien-
 do, & malis artibus à Reipublicæ admini-
 stratione excludendo. Plus enim nocere
 Reipublicæ locupletiorum & potentiorum
 diuitias, quàm exigua bona pauperum, &
 faciliè populum, cùm se à Republica exclu-
 sum & oppressum sentit, in optimates in-
 surgere. *Ανάγκη γὰρ χρόνον ποτὲ ἐν τῷ ψευδῶν ἀγαθῶν,
 ἀληθῶς συμβῆναι κακόν. Necessesse enim est, inquit,
 progressu temporis, aliquando ex falsis bonis,
 verum malum contingere.*

Ad Cap. decimumtertium.

DOlos callidæque consilia, quibus in
 Oligarchia nobiles & opulenti contra
 plebeios & pauperes vtuntur, & vicissim
 in Democratia plebeij & tenuiores, contra
 opulentos, enarrat ac recenset. Vt enim in
 Oligarchia locupletes sibi totam Rem-
 publicam vendicent, & populum relin-
 quant, quinque technas siue malas artes
 (*σοφίσματα ἢ κατασκευάσματα* vocat Aristote-
 les) struunt, obtenduntque. Prima est
πεὶ ἐκκλησίαν, in concione siue Comitiiis, ad
 quæ quidem comitia veniendi necessitas
 paucis, iisque ditioribus, imponitur; tenuio-
 ribus non item, illis scilicet indicta multa,
 his suo arbitrio relictis. Nam hac arte di-
 tiores omnem tandem comitiorum pote-
 statem ad se trahunt: tenuiores verò deci-
 piuntur, qui secum bene agi putant, si nullâ
 multâ à rebus opificiisque suis distrahan-
 tur. 2. Est *πεὶ τὰς ἀρχάς*, in magistratibus,
 quos diuitibus non licet eiurare seu recu-
 sare, licet tenuioribus. 3. *πεὶ δικασίαν*, in
 iudiciis, quæ si non exercent diuites, mul-
 tã affici grauissimã; si tenuiores, nullã aut
 leuissimã. 4. *πεὶ ὅπλα*, in armis, quæ si nō
 habeant ditiores, multantur; egentes, mi-
 nimè. 5. *πεὶ γυμνάσιον*, in exercitatione cor-
 porum, quàm si non faciant potentiores,
 etiam multantur; tenuiores non; atq; adeo
 hi corpora sua exercere, quod alioqui salu-
 bre est, negligunt. Sic ergo in Oligarchiã
 potentiores imponunt populo. Sunt verò
 & Democratiz sui doli, machinæ ac frau-

Plus no-
cent opes
maxima
potentio-
rum, quã
exigua bo-
na paupe-
rum.

Doli ar-
tisque Oli-
garchia.

des contra ditiores & optimates, & illis cō-
 trariæ; vt quia Oligarchicis, multa semper
 ditioribus irrogatur; apud Democrati-
 cos, nulla ditioribus constituatur, imò
 tenuioribus mercedula ad Reipublicæ ge-
 renda munia decernatur. Admonet tamen
 Aristoteles posse vtriusque technas assumi,
 itaque temperari, vt Reipublicæ speciali
 conferant. Sic ex Oligarchiã posse sumi
 multam diuitem, si absint à comitiis, & iu-
 diciis, &c. Ex Democratia mercedulam,
 quã inuitentur tenuiores ad Reipublicæ
 administrationem. Tum docet in Repu-
 blicâ speciali principatum esse penes mili-
 tes. Item non posse exactè censum & bona
 horum ciuium definiri, habendam tamen
 esse rationem eorum qui sunt Reipubl. par-
 ticipes. Rempublicam primam Græcorum,
 post abdicatos Reges, ex militibus consti-
 tisse, iisque equitibus. Esse enim equitatum
 peditatu antiquiorem: quia tantam curam
 artemque non requirat equitatus, quàm pe-
 ditatus: & in illo robur belli potius quàm in
 hoc consistat. In fine capituli eorū quæ
 hoc libro hætenus fuere pertractata, bre-
 uem summam colligit.

Ad Cap. decimumquartum.

DIstinguuit tres in omni Republica par-
 tes. Primam vocat, *τὸ βουλευόμενον*, eam
 scilicet quæ consultat & deliberat de Re-
 publica, quam possumus Senatū nomi-
 nare. Secundam ait esse, *πεὶ τὰς ἀρχάς*, circa
 magistratus. Tertiam appellat, *τὸ δικάζον*,
 eam quæ versatur in iudiciis. Harum verò
 partium principem statuit esse Senatū,
 cuius scilicet sit de iure belli & pacis, de so-
 cietatibus, fœderibus, legibus, morte, exi-
 lio, bonorum publicatione, & rationibus
 referendis, deliberare. In his enim summa
 Reipublicæ posita est. Docet igitur, facul-
 tatem deliberandi in ciuitate de grauissimis
 hisce rebus, imò de omnibus, vel esse con-
 cessam omnibus, & sic existere *δημοτικόν*, siue
 populare institutum, vel Senatū Demo-
 craticum, cuius varios notat modos; vel
 quibusdam de omnibus, & sic esse Senatū
 Oligarchicum: cuius etiam multa sint ge-
 nera, pro variis Oligarchiæ generibus: vel
 omnibus de quibusdam: aut quibusdam de
 certis rebus tantum, vt si liceat omnibus
 quidem, de bello, pace, & reposcendis ra-
 tionibus decernere; de cæteris verò, Ma-
 gistratibus siue ij sint *αἰρετοί*, *electi*, siue
κληρωτοί, *sortitò facti*, & sic esse Aristocra-
 ticum Senatū, vel Politicum, vel ex vtro-
 que mistum. Esse verò tunc Aristocraticū,
 quando electione & suffragiis designantur
 magistratus: Politicum, quando sortitò
 creantur; mistum, cùm vtroque modo.
 Rationem porro designandi sortitò ma-
 gistratus celebrari solitam, vel simplici-
 ter,

Doli &
cōsilia De-
mocratia.

In Repu-
blicâ spe-
ciali im-
perium te-
nent mili-
tes.

Instruēdi
peditatus
artem di-
citur Pyr-
rhuis probè
tenuisse.

πεὶ πλε-
μα, τὴν
συμμάχας,
διδύσσεως
νίμων, πα-
νάτου, φω-
γῆς, δαμεί-
σας, ἢ τῷ
ἐυδυνῶν.

Magistra-
tus vel ele-
ctione fiūt,
vel sorti-
tò.

ter, ἀπλῶς, vt cum nullo habito delectu candidatorum, eorum scilicet qui ambibāt petebantve magistratus, nomina omnia sine discrimine in vnam conuiciebantur: vel ex deiectis seu prælatis ἐκ ἀποκρίτων, vt cum antequam fors duceretur, eximij aliquot viri deligebantur, quorum nomina in vnam conuiciebantur. His explicatis ponit præcepta Democratica & Oligarchica, quod hæc Respublicæ suo tempore essent vsitatiora. Primum Democraticum, debere fieri in Senatu Democratico, siue in consiliis conciliisque popularibus, quod in Oligarchiâ fit in iudicio, id est, mercedem tenuioribus, vt ad comitia veniant; multam ditioribus, nisi conueniant, debere decerni. Atque hoc præceptum Democratiæ illi in qua populus suo arbitratu legibusque spectis omnia gerit & administrat, esse valde necessarium. Secundum quosdam suffragio vel sorte esse constituendos, qui de Republica deliberent: ita tamen vt non plures ex diuitibus quàm egenis, sed ex omnibus ordinibus æquabiliter assumantur. Primum Oligarchicum, debere in Senatu Oligarchico quosdam à plebe deligi; vel etiam magistratum creari, (θελοκρατοὶ vocāt, rebus antè deliberandis præfectos, vel νομοφύλακας, quasi legum & consilij custodes,) qui cum de rebus primi solique deliberauerint, deliberata & statuta referant ad populum, vt fiebat Romæ, non quasi à populo rescindenda aut improbanda: hoc enim esset Democraticum; sed ei prudenter ac benignè declaranda, vt hac arte consiliorum publicorum factus particeps, nihil contra Reipublicæ statum molitur. Secundum, debere potestatem deliberandi omnibus ad Rempublicam aditum habentibus permitti; statuendi verò, solis magistratibus. Tertium, absoluendi potentiam multis concedendam; condemnandi, solis magistratibus: quod contrario modo in speciali Republica fieri solet.

Ad Cap. decimum quintum.

Dixit superiori capite de Senatu siue principe illa parte ciuitatis, quæ consultandi ac deliberandi de omnibus potestatem habet, de quæ Senatus variis pro Reipublicæ varietate, generibus; nunc agit de secunda parte, id est de magistratu; quæritque ante omnia quot in Republica debeant esse magistratus, & quarum rerum? de qua quæstione in fine lib. 6. Item an perpetui esse debeant, diuturni, breues; annui, semestres, an biennales. An ab vno pluries geri debeant? ex quo genere hominum creandi; per quos ordines, & quomodo: Deinde definit magistratum cui ius est de quibusdam deliberandi, iudicandi, & imperandi, sed maximè imperandi. τὸ δὲ ἐπιπένην ἐφ' ἡκάτερον ἔστι. Tertio proponit quæstiones.

1. Est, qui & quot magistratus sint necessarii; qui minimè? 2. An vni vnus, an duo magistratus debeant simul & vno tempore mandari. 3. Quibus in magistratibus, plurimum coniunctio commoda sit & facilis. Respondet ad secundam adhibita ciuitatum distinctione. In magnis scilicet non esse vni homini plures magistratus mandandos, cum satis multi sint in populosa vrbe, quibus singulis singuli mandentur. Maxime cum officia melius singula, siue vnum ab vno gerantur, quàm multa coniunctim, siue plura ab vno. In paruis autem debere vni plures mandari magistratus, propter hominum paucitatem: tuncque magistratus esse, ὡς ἐν ὀφθαλμοῦν, verulucernas, quæ vna ex parte figendis & affandis carnibus; ex altera luminibus inseruiant, vt supra de Delphico gladio. Duas alias quæstiones soluet libro sexto. Interim quærit hoc loco, an secundum loci varietatem, rerum etiam ac personarum, & Rerumpublicarum discrimina, debeant distingui magistratus. Respondet, non omnibus Rebus publicis (de præfectis enim locorum & personarum obscurè statuit, videturque tantum subindicare in magnis ciuitatibus distinguendos esse maximè magistratus & secundum loca, & secundum personas; in paruis non item, sed omnem curam siue ἐπιτοκίας, vt estam ordinationem, vni esse committendam) eosdem conuenire magistratus. Esse enim alios qui Democratiæ, alios qui Oligarchiæ, alios qui Aristocratiæ magis conueniant. Sic consilium, & Senatores, Democratiæ; probulos, Oligarchiæ; Nomophylaces, & mulieribus puerisque præfectos, Aristocratiæ esse accommodatiora. In qua scilicet Aristocratiæ bonæ institutionis & virtutis ratio habeatur. Quo loco obiter ex Cornelio Nepote monuerim, Græcas mulieres in conuiuium adhibitas non fuisse, nisi propinquorum; neque sedere solitas nisi in interiore parte ædiū, quæ γυναικωνίτις vocabatur; quod accedebat nemo, nisi propinqua coniunctus cognatione. Explicat postea Aristoteles modos creationis magistratum, qui vel sorte, vel electione, vel vtraque constituuntur. Concludit, non esse eadem potestatis genera in magistratibus, vt neque in exercitu, & in rebus forensibus.

Ad Cap. decimum sextum.

Agit de iudiciis, parte tertia Reipubl. Ac primò exponit octo genera iudiciorum, siue Tribunalium, δικαστήριον. Primum ἐυδυνάτειον, correctiuum, quod in eo consistit vt rationes repetantur à magistratibus, an bene, an secus se in suo magistratu gesserint. Secundum, contra eos qui iniuste egerint in Rempubl. vt qui eam compilarint, aut fuerint depeculati. Tertium, con-

Lib. 4. de partibus animal. cap. 6. Lib. 1. Polit. cap. 2.

παιδογέμιαι, γυναικωνίτις.


Octo iudiciorum genera.

Præcepta Democratica.

Præcepta Oligarchica.

Magistratus est ἀλλοτρίων, ἀλλοτρίων, ἀλλοτρίων, ἀλλοτρίων.

tra eos, qui in statum publicum quomodo-
cumque peccant, vt sunt perduelles. Quar-
tum, de mulctis & pœnis irrogatis, an ma-
gistratus ciuē nimium mulctauerit. Quin-
tum, de contractibus maioribus. Sextum,
φεικός, de cæde, quò pertinent verbera,
vulnera. Cuius cædis multi sunt modi. Se-
ptimum ἐξωτερῶν, de peregrinis. Octauum
de paruis contractibus, ab vna drachma vs-
que ad quinque. Sic Athenis erant XL. viri
qui cognitionem habebant decem tantum
drachmarum, vt narrat Pollux lib. 8. Dein-
de relinquit hæc de contractibus iudicia,
item de cæde siue capitalia, & de peregri-
nis; statuitque de ciuilibus potius esse dicen-
dum, quæ scilicet magis pertinent ad sta-
tum Reipublicæ; & vnde motus, & seditio-
nes, nisi probè exerceantur, & Rerumpu-
blicarum subuersiones soleant excitari. Hoc
posito iudiciorum modos recenset, & qua-
rum Rerumpublicarum proprii sint, expli-
cat. Statuit igitur modum eligendi iudices,
vel ex omnibus esse, vel ex quibusdam, vel
mixta quadam ratione ex utroque; idque
aut sorte siue sortitò; aut electione siue suf-
fragio; aut partim sorte, partim suffragio.
Et si ex omnibus iudices eligantur, hoc esse
Democraticum; si ex quibusdam siue ex
certo ordine, Oligarchicum; si partim ex
certo ordine, partim ex omnibus siue ex
populo, esse Aristocraticum & Politicum.



APPENDIX NOVA AD LIBRVM QVARTVM Politicoꝝ.

QVÆSTIO VNICA.

De nobilitate quæ & quoruplex illa sit?

Nobilitatis nomen vt friuolum & ina-
ne reiecerunt nonnulli è scholâ Stoï-
corum vnus præsertim Chryssippi autori-
tate freti, Natura enim, inquiunt, æqua pa-
rens est omnibus, nemini est nouerca, nul-
li viam ad virtutem claudit, omnes ad fœli-
citatem gignit idoneos, non Scythia, non
alia regio animum lædit, non genus vnum
altero antiquius censerī debet, etenim si
mundus est æternus, omnes in eodem æter-
nitatis cursu æque locati sumus; si habuit
initium vt verè habuit, omnes ex semine
vnus primi parentis ortum ducimus. Et qui
imagines statuæve in atrio deponunt, ac
iura familiæ suæ longo ordine multisque
stemmatum alligata flexibus, in parte pri-
mâ ædium collocant, noti magis quàm no-
biles sunt: itavt re verâ vt ex Lycophrone
citat Aristoteles in fragmento *μετὰ τὸ ἐπιφύλαξ*

de nobilitate, ignobiles non differant à no-
bilibus. Sed errant ij grauitè ac toto vt di-
citur, cælo, nec solem à syderibus cæteris,
aurum à plumbo; ignauiam à fortitudine
distingunt, qui nobilitatem inter homines
non discernunt; quæ videlicet excellentiâ
quadam soleat definiri: ferè enim nobile
& excellens pro eodem vsurpantur. Itavt
qui homines arte aut virtute aliquâ aut me-
liori indole, imo & fortunæ bonis excel-
lunt, ij nobiles & illustres habeantur. hinc
varia de nobilitate iudicia, variæ definitio-
nes, species & gradus.

Alij enim nobilitatem potentiâ & diui-
tiis definirunt, vt Simonides, qui nobiles
esse eos dixit, qui è maioribus à longo tem-
pore diuitibus fuissent procreati. nempe
quia magna est apud homines vis diuitiarū,
cum nihil sit adeo firmum & constans,
quod non frangant, nihil tam arduum &
difficile, quod non aggrediantur & efficiât.
Denique sine illis nihil fiat eorum, quæ ad
vitam sunt necessaria. Accedit authoritas
sacræ Scripturæ, pecuniæ inquit obediunt
omnia. Succinit ipsi Poëtæ Virgilius Ho-
ratius, quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames. Auro vana iura. Aurū
per medios ire satellites, & perumpere
amat saxa potentius ictu fulmineo.

Alij ex generis antiquitate & excellen-
tiâ, quo sensu illi nobiles vocantur, qui ge-
nus suum ab illustri aliquo & excellenti
Principio seu Heroë longâ auorum & proa-
uorum serie saltem trium successione repe-
tunt. Quod tamen nobilitatis genus, si pro-
priâ virtute destituitur spernit ac ridet Iu-
uenalis tanquam inane & vacuum Saty. 8.

*Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice,
longo*

*Ordine censerī, pictosque ostendere vultus.
Maiorū & stâtes in curribus Aemylianos?*

Et Ouidius in Metamorph.

*Nam genus & proauos & quæ non feci-
mus ipsi*

Vix ea nostra puto.

Idem ad Pisonem, *perit omnis in illo gentis
honor, cuius laus est in origine sola.* Et Sene-
ca in Hercule furente, qui genus laudat
suum, aliena iactat.

Alij ex virtute atque etiam ex naturali
procliuitate ad bonum, quæ *εὐφυία*, id est
bona indoles, nominatur, quomodo dixit
Epicharmus, eum nobilem esse, qui naturâ
procliuis fuerit ad bonum, & virtutem, li-
cèt alioqui matre Æthiope genitus sit, &
Euripides eum esse nobilem, non qui ma-
ioribus longo tempore bonis, natus sit; (vt
volebat Socrates qui hoc solum ad nobili-
tatem requirebat) sed qui ipse vir bonus
simpliciter fuerit, quo sensu accipiendi sunt
vulgati illi & Satyrici versus,

Tota licet veteres exornent vndique ceras

Atria nobilitas sola est atque unica virtus.
Vnde quia sub virtute saltem Dianoeticâ, scientia sapientiâ, artèsque continentur, ferre etiam in eo consenserunt Politici omnes, vt voluerint, inter nobilium ordines, debere doctos viros, sapientèsque annumerari, præsertim cum diues stupidus & indotus contemni soleat ac derideri, vt pecus atrea aut vitiatus aureus, imo & iners ac imperitus quisque quasi bestia, truncus, saxum habeatur.

Hinc apparet nobilitatem generatim sumptam esse excellentiam quandam, quâ homines alij alios superant, quæ cum sit ferè quadruplex, nempe diuitiarum, generis, virtutis, & scientiæ. Propterea quatuor nobilitatis species præclare constituit Aristoteles cap. 4. lib. 4. Quarum tamen præstantissimam vult esse virtutem antiquiorem, & quæ vt ex fragmento de nobilitate colligitur, non nostra tantum sit, sed à proavis, abauis, & tritauis repetita, atque ad nos per longam successionem generationum veluti per manus gloriose delata. Itavt ab vno eccellente principio id est Heroë antiquissimo propagata totam familiam illustrem fecerit, cum accessione diuitiarum. Videtur enim Aristoteles ad perfectam nobilitatem, non modò virtutem antiquam, sed diuitias etiam desiderare, dum ait cap. 8. huius lib. *ἡ γὰρ εὐφροσύνη ἐστὶ ἀρχαίως πλεονέχου καὶ ἀρετῆς*, nobilitas est antiqua opulencia & virtus. Nempe quia diuitiæ sunt instrumenta virtutis, & membra animæ quæ si deficient algebit & torpescet virtus: cum sine diuitiis ardere & lucere non possit, vt neque ignis sine ligno, aut lucerna sine oleo. Ac propterea ad fœlicitatis etiam cumulum & perfectionem idem Aristoteles diuitias requisivit, ac veluti accersivit in subsidium vt alia externa bona, libr. 1. Ethicorum ad Nicom.

LIBER QUINTVS Politiorum.

*Summa
libri quin-
ti.*

Absoluitur capitibus duodecim in duas partes redactis. Prior est de causis seditionum & subuersionis Rerum publicarum earum, quæ à pluribus administrantur, itémque salutis & conseruationis earumdem. Posterior de causis interitus ac destructionis eius Reipublicæ, quæ ab vno regitur, siue is Rex sit, siue Tyrannus; itémque de causis & modis illius conseruandæ. Omne enim imperium vel est vnius, vel plurium.

Ad Cap. primum.

*Fos & ori-
go sedition-
um.*

Statuit, principium & fontem motuum Sac seditionum *τῶν γένεσιν*, esse errorem, in

iure, siue iniustam persuasionem ex eo ortam, quod ciues, licet ius & æquum prætendant, nesciant tamen ipsum probe distinguere; itavt ij qui quodammodo pares sunt, putà liberi ratione libertatis in Democratia, se omnino & in omnibus pares putent, neminèque alteri credant esse præferendum. Et qui vna quadam re sunt impares, putà ratione potentia & diuitiarum, vt in Oligarchia, omnino se impares esse credant; vnde æquum esse putant se solos debere dominari, cum interim illi ex parte tantum pares; hi ex parte etiam duntaxat sint impares. Quare nituntur Respublicæ omnes iure quodam; sed in eo simpliciter errant, eamque ob causam, cum ex hac persuasionem quam vtraque habet, Democratia scilicet & Oligarchia, Reipublicæ non sicut participes, *καταζέουσι*, seditiones mouent, quæ nihil aliud sunt quam insolentes & superbe ciuium pluris se æstimantium, quam par sit, à iure, & statu Reipublicæ, declinationes: & cum ij qui virtute præditi sunt, bonique ciues, & viri, si cum aliis conferantur, sint simpliciter inæquales, omninòque superiores, possintque suo iure seditiones excitare, cum non diuitiis, non opibus, non generi, non potentia ciuili, sed virtuti debeatur principatus, ipsi tamen seditiosi non sunt, nec Reipublicæ perturbatores: sed potius nobiles ij, qui sola virtute & diuitiis *αετιμώουσι*, auorum suorum, sunt illustres; Viri enim nobiles, qui non auita quidem, aut ea sola, sed sua propria virtute splendent inter cæteros; arma non assumunt contra Rempublicam; licet alioquin virtute bellica præstent; aliisque copiis & instrumentis ad pugnam necessariis abundant, Nempe quia virtute præstantes seditionem, & Reipublicæ perturbationem maximè oderunt. Recenset postea Aristoteles genera mutationum quibus ciuitatis status peruertitur, vel immutatur. Primum est cum Respublica transit in aliud genus administrationis, vt cum ex Democratia fit Regnum, ex Regno Tyrannis. Secundum, cum manente eadem Reipublicæ forma, mutantur principes, summique magistratus transferuntur. Quod fit plerumque ex ignauiâ, molitie, vel stoliditate eorum qui dominantur generosioribus. Tertium, cum manente eadem forma, & iisdem principibus, fit ipse status intensior & vehementior, vel remissior & mitior. Quartum, cum vnus magistratus antiquior tollitur, vel nouus instituitur. Tum admonet, Democratiam & Oligarchiam esse frequentiores & visitiores Respublicas: quia nobiles bonosque viros nusquam gentium, centum reperias; *Rari boni*, egentes & improbos passim plurimos. Sed has tamen esse vitiosas, quod docet euentus. Sunt enim parum stabiles aut diuturnæ,

*Varia genera
mutacionis.
Rerum publ.*

eo quod malè primùm fuerint instituta.

Platoni error in principio, magnus fit in fine. Lib. 1. de Colo.

αδύνατον γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου καὶ τῆ ἀρχῆς ἡμαρτήματα, μὴ ἀπαντῶν εἰς τὸ τέλος κακόν π. Egregia est gnomē quam hoc Alciati disticho reddere possumus:

Auspiciis res cœpta malis, bene cedere nescit:

Felici quæ sunt omine facta, iuuant.

Concludit, in ciuitate seruandam esse æqualitatem, non Arithmeticam tantum, quæ si sola est, subuertit Respublicas; sed & Geometricam, quæ ex dignitate æstimatur, ut illa ex æqualitate magnitudinis & multitudinis. Tutioꝛem porro esse Democratiam Oligarchia, quia in hac seditiones oriuntur, & paucorum principum inter se, & eorundem aduersus populum. Item quia Democratia similior est ei Reipublicæ, quæ ex mediocribus constat: at hæc omnium est ἀσφαλιστά, tutissima.

Ad Cap. secundum.

Exponit seditionum Politicarum causas generales, aitque primò considerandam esse erroneam illam opinionem ciuium, quæ se pares omnino, vel impares esse putent. Hinc enim fit ut vel paria omnia in ciuitate debere se obtinere credant; vel maiora aliis, atque adeo si non obtineant, seditiones moueant. Quæ causa primo cap. fuit exposita. Deinde videndum etiam, quarum rerum causa ciues commoueantur & dissideant. Has ergo esse lucrum & honorem, & his contraria: hæc quidem, ut euitentur; illa, ut comparentur. Quod idem est ac si diceret pugnare aut dissidere homines ob auaritiam & ambitionem. Postea recēset communes causas seditionum, lucrum & honorem, vel, si vis, indignationem aut inuidiam, quæ alij in alios ciues incitantur, quòd illi hos videant rebus & honoribus, alios quidem iustè, alios iniustè, abundare. Item contumeliam, metum, præstantiam, contemptum, augmentum immoderatum, sordidum vitæ genus, paruifactionem: vix enim aliter, ἐλιγωρείαν veritas, cum incuriam, ut Lambinus vertit, non significet: exiguitatem, dissimilitudinem. His enim causis quasi stimulis acerrimis exacerbati ciues, turbas & tumultus mouent.

Παρεξέλιπον τὰ δὲ κέρδη, καὶ πρὸς τὸ δίκαιον, ὅτι τὸ ἀγαθόν, ὡς οὐκ ἔστιν ἀποφθίσιμον, ἀξιοῦται, καὶ τὸ κακόν, ὡς ἀποφθίσιμον, ἀποφθίσιμον.

Ad Cap. tertium.

Quæ capite superiori breuiter de vndecim causis seditionum expressit; ea hoc & sequenti vberius exponit, & ferè omnia adhibitis exemplis illustrat. Quo loco notandum septem quidem priores causas esse præcipuas; quatuor verò posteriores, remissiores, ita ut hæc ferè sint absque tumultu. Contumeliam ergo causam esse seditionum, cum scilicet magistratus contumeliis afficiunt priuatos; item lucrum, cum qui præsumt, publica bona de-

peculantur; vel etiam priuatorum fortunas inuadunt; honores etiam & imperia, cum ea exhibentur indignis, vel cum multis non communicantur; docet esse quàm notissimum. Item nimiam vnius aut alterius ἐξουσίαν, præstantiam, siue in opibus, siue potentia, aut fauore ciuili; hinc enim quædam vrbes viros illos superexcellentes solitos ἐστρακίζειν, id est, ostracismo seu testæ iactu in exilium relegare, ut dictum est supra lib. 3. Politic. præterea metum, cum scilicet vel imbecilliores metuumt ne iniuria afficiantur à potentioribus: vel cum hi plebem timent. Item contemptum; & magnum vnius cuiuspiam Politici ordinis incrementum ac potentiam: qui locus in textu est illustris & longè pulcherrimus. Et has quidem septem causas esse præcipuas mutationum, quæ etiam cum seditione ac motu fiant. Esse verò alias quatuor sine motu ἐπίδοσαν, vtilitatem, siue contemptam vitæ rationem, ut si magistratus sordidis abiectionisque plebeiis mandentur: hoc enim ægrè statim ferunt & indignantur honestiores: ἐλιγωρείαν, negligentiam siue paruifactionem; quæ est cum negligenter mandantur magistratus, putà iis qui parum erga Rempubl. sunt affecti. oportet enim, eos qui præsumt, esse viros bonos, idoneos, & patriæ amantes: τὸ μικρόν, exiguum, siue rem parui momenti, quæ si initio negligitur, ut morbus, sensim obrepit, & crescendo nocet.

Cap. 13. alii 9.

Linius decade 1. passim.

Principiis obsta, serò medicina paratur, Cum mala per longas inualuere moras.

Ouidius.

Omne malum nascens facile opprimitur, inueteratum fit plerumque robustius: Et neglecta solent incendia sumere vires. Denique τὸ σπορικόν εἶναι μὴ ἐμόρφυλον, ad seditionem excitandam etiam valere, quod est extraneum seu non eiusdem gentis; item quod est loco diuisum, nec satis vnitum aut coniunctum. Diuisio enim & dissimilitudo nationis, & loci, etiam in eadem ferè vrbe, diuortia parit. Imò πᾶσα διαφορὰ διαστρίπτει, omnis differentia ac dissimilitudo discordiam creat. Sic in bello videmus fossarum licet paruorum interuallis diuelli & distrahi militum phalanges siue legiones. Sed ut locorum dissimilitudo & gentis noxia est, & discordiam parit aliquam; sic maiorem, diuitiarum & paupertatis; maximam, virtutis & vitij.

Cic. Phil. 1.

Ad Cap. quartum.

Statuit 1. Ex paruis rebus, siue leuibus de causis Respublicas interdum perturbari, ut ex re amatoria: ponit exemplum lectu dignum. 2. Dissidia principum, Reipublicæ esse valde noxia. 3. Peruertere Rempubl. mutatione partium, siue ordinum ciuitatis. 4. Duos esse modos præcipuos euer-

euertendæ Reipublicæ, dolum & vim, qui modi in alios subdiuiduntur.

Ad Cap. quintum.

VNiuerſalis Reipublicæ mutandæ & euertendæ cauſas hætenus expoſuit; nunc ſingulas, id eſt, ſingularum Rerum-publ. proprias aggreditur enarrare; ac primùm de Democratia ſtatuit, eam peruerſi & immutari; *διὰ τῆς ἢ Δημοκρατῶν ἀσέλειαν*, propter popularium oratorum, de quibus ſuprà, petulantiam; qui verbis ſuis populum commouent, & aduerſus principes inflammant. Murari autem vel in Tyrannidem, vt olim; ſed aliàs etiam in Oligarchiam; aliàs in Tyrannidem; aliàs ex vna Democratix forma in alteram, vel meliorem, vel deteriorem.

Ad Cap. ſextum.

CAuſas ſubuertendæ Oligarchiæ ſtatuit eſſe duas præcipuas: priorem, iniurias & contumeliam à paucis ditioribus & potentioribus factam & illatam populo; poſtერიorem, ipſas principum paucorum inter ſe diſſenſiones.

Ad Cap. ſeptimum.

EXponit modos cauſasque quibus Ariſtocratiæ ſubuerti ſolet. Primam ait eſſe, quòd in illa quaſi in Oligarchia pauci ſint honorum participes. Secundam, ſi ex optimatibus alij pauperiores, alij ſint locupletiores. Tertiam, ſi vnus nimiam habeat potentiam: Sic enim facilè Tyrannidem affectat. Quartam, *διεξὶν παράνομον, ſi iuris fiat tranſgreſſio*, quam cauſam communem ait eſſe Ariſtocratiæ & Politix. Cuius originem eò refert, quòd non fuerint, in Politia quidem, id eſt, in Republica ſpeciali, probè temperatæ Democratia & Oligarchia, è quibus ipſa politia conſtat; in Ariſtocratiæ verò, virtus cum ſtatu Democratico & Oligarchico. Poſtea docet, omnes Reipublicas in eam mutari ad quam magis inclinant, quòd pars potentior omnia tandem ad ſe trahat, ſolâque velit dominari: interdum tamen in contrariam: Vt Ariſtocratiæ in Democratiam; cum ſcilicet tenuiores, ab optimatibus iniuria affecti, non contenti optimates reſpreſſiſſe, totam Rempubl. ad ſe trahunt, vt præmium victoriæ. Addit ſupradictis cauſis illud *τὸ μικρόν*, de quo iam egit, cap. 2. & 3. huius lib. Concludit, non tantum per ſe, & per cauſas inteſtinas diſſolui & interire Reipublicas; de quibus cauſis dixit hætenus; ſed & per accidens, & per cauſas externas; vt eſt vicinia aduerſarum ciuitatum; vel inſidiæ potentioris Reipublicæ, licet ſit remotior.

Ad Cap. oſtauum.

Agit de cauſis *τῆς σωτηρίας*, conſeruatiōnis & ſalutis Reipublicæ, tam communibus quam propriis. Primam ait poſitam

Tom. 3.

eſſe in exacta legum obſeruatiōne, ita vt ne minimum quidem inſtitutum violeſtur aut immutetur. Secundam, ſi magiſtratus prudenter honeſtèque ſe gerat, cum & ſecum, tum maximè erga eos quibus imperant; ita vt ſuo magiſtratu nullo modo abutantur. Tertiam, ſi qui præſunt, vigiles ſint & ſolliciti. Quartam, ſi concordēs ſint principes, & eorum contentiones lege caueantur. Quòd ſi quædam oriantur, eæ quam primùm à viro Politico, non à quolibet dirimantur. Quintam, ſi cenſus recta & æquabilis ſit deſcriptio. Sextam, ſi neminem Reipublica augeat præter modum, ſiue honoribus, ſiue diuitiis. Septimam, ſi creetur magiſtratus, qui ciuium vitam morèſque obſeruet, an accommodatè ſeſe gerant ciues ad Rempubl. an ſecus. Oſtaum, ſi ea cautio adhibeatur, vt nulla pars ciuitatis nimium excellat, floreâtque honoribus, diuitiis, amicis. Nonam, ſi Reipublica ita ſit temperata, vt qui præſunt, nullum ex imperio aut magiſtratu ſuo queſtum lucrùmve faciant. Decimam, quæ vt alia duæ ſequentes, propria ſunt, ſi in Democratia & Oligarchia, qui obtemperant, iniurioſè aut contumelioſè non tractentur ab iis qui imperant, ſed potiùs ſuauiter & commodè. Vndecimam, ſi in iisdem Reipublicis hæreditates non teſtamēto aut legatis, ſed iure cognationis, ſiue agnationis lege ab inteſtato deferantur: atque ad vnum nonniſi vna. Duodecimam, ſi maiora tribuantur, aut paria bona iis qui Rempubl. non gerunt, vt in Oligarchia, populo; in Democratia, ditioribus paucis. Sic enim à ſeditione hoc quaſi Politico aſtu & dolo abducentur.

Ad Cap. nonum.

STatuit primò, eos qui ſummos gerunt magiſtratus, debere eſſe boni publici amantes; item debere officiorum ſui magiſtratus maximam habere ſcientiam & peritiã, *δυνάμειον ἢ ἕξωον τῆς ἀρχῆς*. Debere denique virtutem & iuſtitiam colere. Improbi enim quo plus poſſunt, eo plus nocent. vt dixit Plato lib. 1. de Republ. vbi Philoſophis tunc imperium permittit & magiſtratum, cum in Republ. alij non ſunt viri boni. Secundò tradit inſigne præceptum ſeruandarum Reipubl. quæ ab optimis declinant, vt ſunt Oligarchia & Democratia; nimirum eſſe in iis adminiſtrandis diligenter tenendam mediocritatem; ita vt in Democratia non omnia omnino Democratica ſint, nec in Oligarchia omnia putè Oligarchica: cum ſummus in vtraque gradus valdè ſit periculofus, eoque melior ſit vtraque, quòd remiſſior & moderatior. Nempe quia vtriuſque temperatio iuſtã facit mediocritatem, qua Reipublica conſeruatur. Si enim ſumma eſſet Democratia & intenſiſſima, populùſque omnia omnino ſuo arbitrio regeret ſine

Cauſa ſalutis Reipubl.

Lib. 4. Polit. c. 4.

Cauſa euerſionis Oligarchiæ.

Ariſtocratiæ.

Pars potentior trahit omnia ad ſe.

τὸ μικρόν, ὅτι ἐξ αὐτῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν.

Summa Oligarchiæ & Democratia periculofa.

Lex anima est civitatis.

optimatibus; Si esset etiam absolutissima Oligarchia, ita ut pauci diuites omnia possent, subque nutu res omnes soli gererent, nulla reliquis civibus relicta auctoritate, profecto neutra Reipublicæ nomen mereretur: cum sic utraque vel ad paucorum, vel ad omnium libidinem, sine legibus ullis administraretur, in quibus tamen mens & anima civitatis posita est. Tertio tradit aliud Politicum præceptum, longè optimum, debere in Democratiis oratores Demagogos favere potentioribus, ac pro iis dicere, saltem videri; in Oligarchiis, contra. Alioqui fouere odia, mouere animos, & Reipublicam diuidere ac perturbare. Quod faciunt, qui in Oligarchia iurant contra populum. Consultius agerent si contrariam iurandi formulam saltem simulando (quæ fallacia est Oligarchica) sequerentur; palamque ac publicè profiterentur, se nulla plebem iniuria affecturos. Quarto, optimam seruandæ Reipubl. cautionem addit supra dictis, nempe institui accommodatè ad Reipublicam: siue ea sit Democratica, siue Oligarchica. Oportere scilicet legibus & institutis ciues esse assuefactos & quasi educatos; ut iis sese facillè omnes subiiciant, hincque Respublica subsistat & perseueret. Neque enim seruitutem esse parère legibus, seu viuere accommodatè ad Reipublicæ instituta, sed salutem.

Parere legi, seruitus non est, sed salus.

Ad Cap. decimum.

Differit de Monarchia siue de vnus imperio ac dominatu; eiusque detruendæ causas primùm hoc capite enarrat; sequenti de causis conseruationis eiusdem dicturus. Quo loco significat, *μοναρχίαν*, esse duplicem, regnum scilicet, quod vocatur *βασιλεία*, & Tyrannidem, quæ dicitur *τυραννίς*. De quibus dictum lib. 3. Docet igitur primò easdem esse interitus & salutis causas in Monarchia ac in cæteris Reipubl. quia Regnum, Aristocratiam; Tyrannis verò vltimam Oligarchiam ac Democratiam pessimas formas imitatur. Vnde infert Tyrannidem esse omnium deterrimam Reipubl. & subditis perniciosissimam, quæ scilicet ex vitiis duarum pessimarum componi videatur. Secundò docet, Regni & Tyrannidis originem diuersam esse. Eligi quippe Regem ex bonis, ad bonos protegendos; Tyrannum ex plebe ad multitudinem contra bonos illustrésque defendendam. Tertio alias Regis & Tyranni differentias ex textu faciles enotat. Ut quòd Rex vigilet studeatque bono cõmuni omnium: Tyrannus suam solius spectet vtilitatem, ditiorum bona occupando, & tenuiores labore fatigando. Quòd Regi virtus honestasque sit proposita; Tyranno voluptas; illi honor, huic diuitiæ magis. Illi adsint custodes ciues; huic exteri &

Regis & Tyranni discrimina.

mercenarij. Quarto docet commune esse Tyrannidi & Oligarchiæ sectari diuitias, populum timere, eique diffidere, eum vexare, dispergere. Quintò commune etiam esse Tyrannidi & Democratiæ odisse optimates & principes viros: quò pertinet consilium Periandri Thrasymbulo datum, decussis summis spicarum capitibus. Significabat enim tollendos esse proceres ciuitatis, ut securè dominaretur. Sextò easdem esse interitus & salutis Monarchiarum causas, quæ sunt aliarum Reipubl. supra expositæ. Plerosque etenim ciues Monarchias inuadere ob iniuriam, metum, contemptum, &c. eo fine ut diuitiis & honoribus potiantur. Coniurationum verò, *των ἐπισημάτων*, alias esse in corpus principum, id est, in personas ipsas Regum & Tyrannorum; alias in imperium & statum. Egregias interim historias de iniuriis Principum, siue stupro, siue verberibus illatarum, itémque de iniuriarum vindicta, & de metu, contemptu, plurima hoc loco narrat Aristoteles: in quibus ideo multum eum esse crediderim, quòd historiæ vulgo dicuntur vitæ Politicæ specula & imagines. Addit causis iam allatis interitus Monarchiarum, *φιλοτιμίαν* gloriæ appetentiam; qua nonnulli licet rarissimi, æternæ famæ supra modum cupidissimi, Monarchas adoriuntur & interficiunt. Quo animo fuisse dicitur Scæuola, qui, ut narrat Liuius, loco regis Porcennæ, scriba errore obruncato, deprehensus, & ad Regem adductus, *Nec ad mortem, inquit, minus animi est, quam ad cadem tuam: & facere & pati fortia, Romanum est: nec vnus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus sen tibi, quam vile corpus sit, iis qui gloriam magnam petunt, &c.* Postea docet Tyrannidem destrui, vel ab externa causa: Ut cum contrariæ formæ certant, putà Democratia cum Tyrannide: vel ab interna, ut cum dissentiant qui imperij sunt participes. Causas verò principes euerfionis Monarchiæ esse odium, contemptum, iram. Et quot tandem causæ sunt euertendæ vltimæ Oligarchiæ, & vltimæ Democratiæ, tot esse Tyrannidis, quæ scilicet ex illis composita videatur. Sub finem capitis docet, regnum externa causa non interire, (intellige ut plurimùm, vel si iis copiis instructum sit, quibus externis hostibus resistat,) sed internis duabus. Priore quidem, si regni participes & hæredes discordent; posteriore, si iidem maiorem quàm ferant leges, sibi potestatem arrogent. Hoc enim est Tyrannicè do minari.

Cap. 2. & 3. huius lib.

Lege illustres historias in textu.

Mira Scæuola constantia.

Ad Cap. vndecimum.

ENarrat causas conseruandæ Monarchiæ, etiam Regni quàm Tyrannidis; quas generatim ait esse causis intentis contrarias.

Tum

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

Tum specialem causam conseruandi regni afferit esse imperij moderationem, vt scilicet regnum non sit adeo intensum & absolutum, & ab vno solo omnibus modis dependens. Nam cui nimium licet, ei nimium libet: *Sumusque omnes deteriores licentia, & eleganter Gallicè Iacobus Amyotus:*

*Celui auquel ce qu'il veut, loit,
Veut toujours plus que ce qu'il doit.*

Tertiò ponit duos modos conseruandæ Tyrannidis. planè contrarios, sœuitiam, & clementiam. Sœuitiam quidem, præstantes & generosos viros tollendo; conuiuia, sodalitates, disciplinam, scholas prohibendo; item ea omnia renouendo, quæ notitiam mutuam, fidem, amicitiam & concordiam inter ciues possint efficere; & contra procurando ea quæ odia & inimicitias inter illos foueant excitentque; bona etiam ciuium minuendo, bellum gerendo, amicis suis diffidendo, mulierum imperium, licentiam seruorum, adulatorum fallaces blanditias permittendo; improborum & exteriorum consuetudinem amando, bonorum & generosorum ciuium colloquia fugiendo. Denique nullum improbitatis genus omittendo. Quæ omnia eò videntur posse reuocari, vt velit Tyrannus subditos esse humiles, abiectos, pusillanimes, deinde, *διαστειν ἀλλήλους, sibi inuicem diffidere.*

Tertiò, non posse res suas agere, quod vocat *ἀδυναμίαν ἢ ἀρετῆς ἀνάγκην*. Et hic est prior modus, quo secundum sœuitiam & crudelitatem Tyrannis conseruatur.

Posterior modus priori planè oppositus, est Regiæ clementiæ, siue ratiõ imperandi ad regiam maximè accedens, itavt hæc sola nota Tyrannis tunc à Regno differat, quòd in illa non modò in volentes, sed etiam in nolentes ac inuitos sit imperium. In regno autem imperium sit in omnes volentes. Tyrannum interim partim debere regia præstare, partim multa præclara simulare, *ἀποκρίματον τὸ βασιλικὸν καλῶς*, bene quod regium est, simulare. Videri bonum ararij publici dispensatorem & custodem potius quàm dominum; interim pecunia publica vti ad familiam suam tuendam, & ad bella. Cauendò autem diligenter ne in vsus eos pecuniam conuertat, propter quos populus stomachatur, vt profundendo largitiones in meretrices, peregrinos, histriones, citharædos. Reddere etiam populo rationes accepti & expensi, non debere magnos argenti auriqùe thesauros colligere, ne ipsi à custodibus & præsidariis militibus struantur insidiæ. Debere esse facilem & humanum, ita tamen vt grauis sit, *σιμὸς*, non arrogans. Debere etiã se continere, suamque & suorum, imò omnium libidinem coercere ac reprimere, præsertim vxorum contumelias. Vti moderatè voluptatibus,

aut saltem videri eas fugere: Quia sobrius, & vigil, non faciliè impetitur, sed ebrius ac dormiens. Urbem exornare. Simulare religionem prudentissimè. Alioqui si innotescat talis simulatio, maius imminere periculum. Viros optimos ac re aliqua excellentes præmiis afficere, idque per se ipsum, improbos verò & nocentes castigare, per alios magistratus & iudices: vt sic deuoluto in magistratum omni metu & odio, ipse Tyrannus solam populi beneuolentiam, amorèmqùe conciliet. De quo regnandi arcano legendus Ioan. Bodinus cap. 6. Methodi historicæ. Neminem etiam suorum ad nimiam potentiam prouehere. Ab iniuria ciuium cum ab alia omni, tum ab his maximè, verberatione scilicet & stupro, abstinere. Supplicia non contumeliosè, aut petulanter, sed paterno animo videri infligere. Ignominia quadam affectos, magnis honoribus mitigare & quasi compensare. Ab iis maximè sibi cauere, qui cum vitam & caput Tyranni petant, de sua ipsorum vita aut morte non multum sunt solliciti. Hos autem contingit esse tales, qui se, vel alios suos contumeliosè læsos putant. Dare præterea operam vt ciues, siue diuites, siue pauperes, credant se saluo imperio esse etiam saluos & incolumes. Item neutros finire sibi inuicem esse iniurios. Interim potentiores sibi conciliare, suosque facere. Denique debere Tyrannum affectum esse ad virtutem præclare, nec deprauatum, sed *ἡμιπόνηρον, semimalum, καὶ ἡμιγεννον, semibonum*. Si enim esset omnino probus, perfectaque virtute præditus, iam non Tyrannus sed Rex potius videretur. Discant interim reges ac principes ex hominis Pagani doctrina, quanti sit momenti religio, virtus & iustitia, ad feliciter imperandum.

Ad Cap. duodecimum.

Statuit primò ex omnibus Reipublicæ speciebus, Oligarchiam & Tyrannidem minus esse diuturnas. Causam non affert, quia facilem, ob vtriusque malitiam & insolentiam. Sed ponit exempla præsertim de Tyrannide, cum ait aliam alia breuiorem, aliam diuturniorem ob certas causas: sed plerasque esse breuissimas.

Secundò, Platonis errata reprehendit de mutatione Rerumpublicarum, ex libro 8. de Repub. Primum est, quòd dixerit Plato siue Socrates apud Platonem loco citato; ideo Rempublicam omnem mutari, quòd omnia mutantur, nihilque in eodem statu maneat, sed omnia velut in orbem quendam continuè vertantur. Hæc enim ratio nimium est generalis, debuitque alia Politica & propria proferri. Hoc loco rationem vicissitudinis rerum fuisse per numeros harmonicos à Platone explicatam significat

Simulatio religionis.

Teretiùs.

Sœuitia est prior modus conseruanda tyrannidis.

Clementia posterior.

Oligarchia & Tyrannis parum durans.

Aristoteles. Sed numeros non esse rerum causas docuit ipse in Metaphysicis, ut ibidē obseruabimus. Admonet interīm quosdam sic esse à natura comparatos, ut nulla institutione erudiri, bonique viri fieri queant. Secundum, quòd dixerit Plato Respublicas inter se ordine commutari: hoc enim falsum, cum interdum in contrarias, interdum in finitimas permutentur. Tertium, quòd de Tyrannide nihil statuerit. Item quòd docuerit, in Oligarchia duas esse Respublicas, vnam diuitem, alteram pauperum. Est enim Oligarchia vnum Reipublicę genus. Denique quòd putauerit Oligarchiam semper conuerti in Democratiam, & ita de causis mutationum vtriusque senserit, quasi vna sit tantum Oligarchiæ vel Democratiæ species. Falsum enim est illam in hanc semper commutari; & cum multas species esse vtriusque constet ex suprā dictis, est etiam necessum multas esse variāsque mutationis earum causas, singulis speciebus accommodatas; cum aliæ aliis modis destruantur.

Lib. 12. c. 5. iuxta nostrā correctionem.

Lib. 4. Polit.

LIBER SEXTVS Politicoꝝ.

Habet capita octo, in tres redacta partes. Prima est de methodo & materia libri. Secunda, quæ est quasi appendix ad librum quartum de Democratia & Oligarchia. Tertia, de magistratuum generibus.

Ad Cap. primum.

Onit initio breuem eorum quæ libro quarto & quinto de Summis illis Reipubl. partibus, consilio siue Senatu, (quam partem vocat κρείον τῆς πολιτείας, dominam Reipublicæ) magistratibus, & iudiciis; item de dissolutione seu corruptione, & conseruatione Rerūpub. tradita sunt, ἀνακεφαλαίωσιν, repetitionem. Tum declarat, de quibus, & quo ordine sit hoc libro dicturus: nempe de copulis, ac temperationibus (συναγωγὰς hic vocat, καὶ συναρμωμοίς, ut li. 4. συναρμωμοίς, μίξις) Democratia & Oligarchiæ, & si quid superfit explicandum de iisdem Rebuspublicis. Rem ergo auspiciatur à Democratia, de qua agit quatuor sequentibus capitibus; de Oligarchia illi contraria dicturus in sexto. Democratia igitur instituendæ vtile esse docet, instituta omnia popularis gubernationis colligere, eaque copulare. Sic enim fore ut diuersa Democratia genera constituentur, quæ ratio valet etiam in Oligarchiæ differentiis inueniendis. Esse verò diuersa Democratia genera, partim ob populorum varietatem, partim ob diuersos mis-

Cur Democratia multiplex.

cendorum & coniungendorum institutorum modos.

Ad Cap secundum.

Statuit primò scopum & finem omnis Democratia esse τὴν ἐλευθερίαν, libertatem ciuium. Secundò libertatis duas esse notas, imperandi & parendi vicissitudinem. Vbi enim hæc non est, videtur potius inter ciues esse dominatus & seruitus quàm vera libertas. Et hæc nota maximè propria est: Deinde viuere, ut quisque velit. Seruile enim est viuere, non ut velis. Ex quo concluditur, Democratia, quæ libertatem & ius arithmeticum pro fundamento habet, totidem talisque esse notas, imperij vicissitudinem, & viuendi licentiam, è qua tamen posteriore nata videatur ἀναρχία, siue ut loquitur, τὸ μὴ ἀρχεῖν, non parere, malum in ciuitate grauissimum. Tertio, exponit Democratica instituta. 1. Creare omnes magistratus ex omnibus. 2. Omnes imperare singulis, (vniuersus enim populus imperium tenet,) & singulos vicissim omnibus, quatenus illi singuli gerunt vicissim magistratus, sibi ab omnibus collectiuè sumptis demandatos. 3. Sorte creare magistratus, vel quoslibet, vel eos qui doctrinam, peritiāmque non desiderant, siue experientiam. Nam in magistratibus iis creandis, qui artem, sapientiam, vsumve requirunt, ut est Prætura iuri dicundo, electioni & suffragiis potius quàm sortibus locus esse debet. 4. Non esse mandandos magistratus ex censu & diuitiis, ut fit in Oligarchia, nisi census sit perexiguus. 5. Non esse vni eundem magistratum bis mandandum, nisi bellicum. Expedi enim eundem sæpius ducem designari, cuius virtus iam sit explorata, præsertim cum pauci boni imperatores reperiantur. 6. Non debere esse diuturnos magistratus quantum eorum ratio pati possit. 7. Debere omnes & ex omnibus, & de omnibus, aut de plerisque, aut maximis & grauissimis rebus, ut de rationibus reddendis, de negotiis publicis, iudicare. 8. Debere Ecclesiam siue comitia vel concionem populi esse omnium dominam; magistratum nullius rei, vel minimarum & paucissimarum. Magistratuum autem maximè popularem esse βουλὴν consilium, curiam, siue Senatum popularem, Græcorum quidem motibus accommodatum, sed longè à Romano Senatu diuersum: qui licet interdum octingentis Senatoribus constaret, omnes tamen erant optimates. Vnde, ut obiter dicam, Romanus Senatus Aristocraticus potius erat, quàm Oligarchicus, ut & γερουσία Lacedæmoniorum, de qua dictum lib. 2. huius operis. Ait verò Aristoteles, τὴν βουλὴν, esse magnæ potestatis, cum nulla est plebi mercedula siue sportula (ἐκκλησιαστικὸν ἢ δικαστικὸν Pollux appellat) proposita: aliàs non magnæ,

Nota Democratia, imperare vicissim, viuere, ad arbitriū.

Instituta Democratia.

Cap. 8.

magnæ, plebe scilicet omnia ad suam potestatem reuocante. 9. Quibusdam magistratibus, vt iis quorum solemnia sunt conuiuia, siue *συσσίτια*, mercedulam esse proponendam. Denique vt Oligarchica sunt genus, diuitiæ, institutio siue disciplina: sic horum contraria esse Demotica, generis obscuritatem, paupertatem, sordidasque artes. Addit non debere esse perpetuum vllum magistratum; sed hoc, *δημοτικὸν νόμον δέσμιον*, ad sextum potest reuocari.

Ad Cap. tertium.

Proponit controuersiam de iure populi in Democratia, quomodo illud debeat aestimari. An ex eo quod videtur maiori parti ciuium; an ex eo quod videtur optimatibus, vel locupletioribus paucis. Respondet ratum esse debere quod vtrisque visum fuerit, aut pluribus. Sin contrariæ fuerint opiniones, quod plures selecti & ex pauperibus, & ex optimatibus probarint, id esse probandum. Sententiam tamen eam esse potiore, quæ maiore censu nitatur. Sed debere diuitem vnum duobus tenuioribus respondere. Itaque si pro vna sententia stent sex diuites, & quinque pauperes; pro altera quatuor diuites & quindecim pauperes; potiore esse horum sententiã. Ratio est, quia quatuor diuites octo pauperibus respondent, qui si cum aliis quindecim pauperibus coniungantur, facient viginti tres, cum interim prioris sententiæ auctores septemdecim tantum faciant. Vno scilicet diuite pro duobus pauperibus numerato. Et hoc quidem modo communis sententia locum habet, *Quod maiori parti visum est, id statum ratumque esse debere.* Quod si pares vtrinque fuerint opiniones, id quidem commune esse ait omnibus Rebus publ. non soli Democratia: tunc ergo inquit, *ἢ ἀποκλιθεῖτον, aut sortibus agendum erit; ἢ ἄλλοι τούτων ποιητοὶ;* aut aliud quid tale faciendum.

Ad Cap. quartum.

EX quatuor Democratia generibus supra explicatis, statuit primum esse omnium optimum, & antiquissimum; illud videlicet quod ex populi diuisione in Agricolas constituitur. Populum enim in diuersas partes diuidi, agricolas scilicet, opifices, mercatores, milites, consiliarios, diuites, magistratus, iam antè libro quarto docuerat. Ratio est, quia Agricola & pastores rarò ad comitia conueniant: malunt enim rebus suis vacare, quàm sine spe mercedis vlla sese Reipublicæ negotiis implicare. Præsertim cum ipsis necessaria non suppetant, rei que familiari amplificandæ toto studio incumbant, & quæstum potius quàm honores appetant. At sæpe iam dictum est his libris, inutile esse & perniciosum Reipubl. si multitudo popularis frequentior sit

in concionibus. Debere interim populo, si fortè honoris cupiditate ducitur, potestatem & ius concedi creandorum magistratum, & rationum ab iis reposcendarum. Imò verò in quibusdam Democratias, vt in Mantineensi, quosdam vicissim magistratus ex vniuerso populo deligi ab ipsomet populo: quod institutum sane quam insigne est & optimum. Vbi enim pars aliqua est ciuitatis honorum expertis, ea cum se contempni credit, facilè seditiones mouet. Eam igitur primam Democratiam bene habituram ait, si omnes quidem ciues eligant magistratus, & ab his rationes repetant, & iudicia exercent; maximos tamen magistratus gerant optimi, iique selecti viri; sed itavt summi magistratus ex summo censu & diuitiis, minores ex minore mandentur: vel si non pro censu seu ratione diuitiarum, atque, vt loquitur, *ἀπὸ πινυμάτων*, saltem iis tribuantur, quorum ea est dignitas, otium, & facultates, vt eos gerere pro dignitate possint. Quoniã verò optima est Democratia Agricoliarum, exponit hoc loco Aristoteles modos, quibus ciues rei rusticæ seu agriculturæ fieri possint studiosiores, debere scilicet lege caueri, ne quis agrum paret saltem prope ciuitatem, nisi ad certum modum, certamve quantitatem. Hinc enim singulos ciues suum quosque agellum exculturos. Hoc lex Licinia apud Romanos constituerat, quæ vetuit ne plus quàm 500. iugera liceret possidere. Item vetandum, ne quis *ἀερίους κλήεις*, primas agri sui portiones (quæ ipsis sorte obtigerunt in agrorum prima partitione, olim à legislatoribus fieri solita) diuendat: Sic enim non ement ditiores; & vnusquisque sui agelli dominus, eo excolendo occupabitur. Vetandum etiam, auctore Oxylo Rege Eliorum iustissimo, ne quis agrum suum mutua pecuniæ causa oppignoret: Gallicè, *d'engager ou hypothèque sa terre*. Hac enim cautione agri continuatio siue amplificatio, quam ditiores obtinere possent, facilè impediatur. Statuit postea Democratiam pastorum secundum Georgicam, esse optimam; quia pastoribus & agricolis multa sint communia; & supra, pastores dixit viam agriculturæ exercere. Item quia res pastoritia viros reddit fortes, robustos, & militiæ idoneos. Reliquas autem multitudines hominum, quibus aliæ Democratia constant, esse longè nequiores: eo quod tabernarij, v. g. opifices, mercenarij, opera sua cum virtute non coniungant, in foro & vrbe volutentur, & ad comitia facilè veniant; vnde Reipublicæ perturbatio, cum talis multitudo pariat confusionem. Vnde obiter præcipit non esse in Tabernariorum Democratia conciones siue comitia celebranda, nisi agricolæ simul aduocentur. Tum quia hi illis sunt meliores; tum

Linus lib. 6.

De Oxylo Strabolib. 10. Geograph. & Pausanias, l. 5.

Cap. 5. li. 1. Politic.

Quod locupletioribus & egenis visum sit aut pluribus, in Democratia.

Lib. 4. Polit. c. 4. Quæ optima Democratia.

etiam quòd sic rariora futura sint comitia; quia rarò rusticis per otium licet in rempublicam siue ciuitatem conuenire. His expositis ad alia pergit Democratia genera; sed maximè ad vltimum omnium nequissimum, quòd media ex extremis facile queant intelligi. Vltimam ergo Democratiam ait non conuenire cuilibet ciuitati, nec posse diu permanere, nisi legibus bene sapienterque temperetur. Illam enim facile dilabi nimia plebis & Demagogorum licentia: posse tamen stabiliri & constitui primò si plebs superet multitudinem principes, atque etiam mediocres, seruato tamen modo; nimia enim plebis multitudo confusio- nem parit, & principes irritat. Debere autem plebem numero esse superiorem in tali Democratia constat ex regula generali Politica libro quinto exposita: Eam Reipublice partem, cum-ve ordinem qui statum presentem saluum & incolumem velit, reliquis ordinibus debere esse maiorem & potentiorum. Secundò, si augeantur Tribus & Curia populares quas vocat *φυλαὶ καὶ κερταίαι*, vt fecit Clisthenes Athenis. Tertiò, si sacra priuata & domestica conuertantur in publica; & omnibus communia. Quartò, vt omnes ciues nullo sint discrimine separati aut distincti. Quintò, vt familiaritas, siue peculiare potentiorum ac pristinae consuetudines, factionesque (Gallicè, *les intelligences* & *veux particulieres des plus grands*,) aboleantur. Denique si instituta tyrannica, de quibus libro quinto, obseruentur; vt *licentia seruorum*, mulierum, puerorum. Item viuere, vt quisque voluerit. Sic enim futuros multos, qui tali Reipublice opitulentur. *ἡδονὴν δὲ τοῖς πολλοῖς τὸ ζῆν ἀνάγκη, ἢ τὸ σπαργίζωσθαι.* Plerisque enim iucundius est, inordinatè ac licenter viuere, quam temperanter & modestè.

Ad Cap. quintum.

PRæcipit Nomiotheris, politicisque viris, vt non tantum de instituenda, sed maximè de conseruanda republica sint solliciti. Iuxta illud,

Non minor est virtus, quàm quærere, partem tuam;

Casus inest illic: Hic erit artis opus.

Deinde addit postremae illius Democratiae conseruandae præceptis hoc aliud, contra Demagogos suae ætatis; quòd bona non debeant iudiciis publicari: aut in ærarium publicum siue fiscum referri, sed in sacrum. Sic enim fore vt populus qui diuitum bonis inhiat, non adeo sit ad cõdemnationes procliuis, qui nihil utilitatis ex condemnatione sit percepturus; neque inde mitius agatur cum reis, qui æquali multa afficientur. Ait verò curandum etiam esse, vt iudicia sint paucissima: sic enim minus diuites vexabuntur. Futura autem iudicia publica

paucissima, si graues pœnæ iniustis accusatoribus statuuntur. Debere præterea omnes ciues, vel saltem principes, bene erga Rempubl. esse affectos. Eam verò Comitiarum rationem esse debere, vt si nulla sint publica vectigalia, nullique redditus, Græcè *ἀποδοῖς*, comitia sint rariora, & iudicia breuiora. Sic enim fore, vt minor sit plebis auctoritas, & minori pecunia sit opus ad sportulas iudiciales: de quibus supra passim lib. 2. 4. & 5. Interim eò spectare debere Democraticum, vt ne plebs in extremas paupertatis angustias redigatur, cum ex populari egestate iudicia corruptissima & iniquissima, calumniae, frequentes conciones & multae, publicationes bonorum, tributa siue collationes ditioribus impositae proficiscantur, & seditiones concitentur. Iuxta illud Siliij Italici, *Et deforme malum ac foeleri procliuis egestas.* Posse autem populum ab egestate liberari, si primò, egentibus vectigalia omnia distribuuntur, vel viritim, siue singulis vel tributim, siue singulistribus. Secundò, si pars aliqua populi, eaque tenuior, in colonias mittatur, vbi domibus & agris donetur. Tertiò, si principes vtantur tenuioribus ad certas operas, è quibus hi victum parent. Quartò, si ditiores vsu suarum possessionum; vt hororum, agrorum, egentibus permittant, non dominium aut proprietatem. Quintò, si magistratus quidam sorte mandentur, quidam suffragio; ita vt illorum populus sit particeps, qui hac arte in officio suo continebitur, vt pote honorum publicorum particeps; horum verò, optimates, virique selecti, generosi, sapientes, ditiores, qui ad præcipuos Reipublicae magistratus, electione promoueantur.

Ad Cap. sextum.

Agit de Oligarchia instituenda. Quòd in negotio longè breuior est, quam in Democratia. Quia nempe quae de Oligarchia dici possunt, facile ex iis quae de Democratia exposita fuerunt, colliguntur: cum Oligarchia & Democratia sibi inuicem sint contrariae, in quarum scilicet priorum, pauci & ditiores; posteriore, multi ac pauperiores imperent. Sic ergo genera Oligarchiae comparari debere docet, vt optimum illius genus optimo generi Democratiae respondeat; deinde suo ordine alia aliis, denique vltimum & pessimum vltimae & pessimae Democratiae. Atque in prima quidem optimaque Oligarchia mandandos sic primum esse magistratus, vt census ac diuitiarum ratio habeatur; maiorisque magistratus ex maiori censu, adeoque ditioribus, mandentur; minores verò, (quos hic vocat *ἀναγκαῖοις* necessarios. sic enim Aristoteles solet tenuiora & viliora quaque *ἀναγκαῖα* nominare, vt lib. 1. Politic.

cap. 7.

Lib. 13.

Modi impedienda paupertatis populi.

Leges Oligarchicae.

*ἀναγκαῖα
ἀνάγκη.*

*Vita licentiosa in-
cundior.*

cap. 7. & lib. 1. Metaph. cap. 2.) ex minore censu. Nempe quia Oligarchiæ hoc proprium est, ut maior, census ac diuitiarum, quàm virtutis aliarumve rerum ratio habeatur: estque Oligarchiis utilissimū quædam cum tenuioribus communicari dummodo, ἀρχαὶ κούραι ἢ πολιτείας, præcipui summi- que reipublicæ magistratus penes ditiores maneat. Quod si qui plebeij, honestiores tamen & meliores, sufficientem censum diuitiasque obtinuerint, eos posse etiam ad Reipublicæ gubernacula admitti, & in optimatum numerum referri. Sic enim ordinum laudabilem existere contemperatio- nem. Quæ ratio Romæ fuit olim obserua- ta, vbi plebeij familiæ lege lata patriciæ fie- bant: Ut gens Tullia, vnde fuit Cicero, pri- mum plebeia, facta est deinde, Iulia lege, patricia, ut Dio testatur. In secunda autem Oligarchia intentionem esse adhibendam statuit, itavt maior ad eam census requira- tur, & pauciores extent imperantes. Ter- tiam prætermittit, ut ex dictis, facilem: Ul- timam verò ait esse, δυναστευατικὴν, ἢ περὶ κούρας, eoque maiori cautione ac cura opus habere, quò peior est ac omnium deterrima: non secus atque corpora morbosa νοσῶντες ἔχοντες, & naues fatiscientes, ac hian- tes: quæ eo diligentius curari debent, quo peius habere videntur. Concludit civium multitudinem Democratiis conuenire, pau- citatem Oligarchiis cum bona ordinatio- ne. Nam in Democratia ob multitudinem confusio est.

Ad Cap. septimum.

Distinguit primò plebeiam multitudi- nem in quatuor partes: nempe in Agri- colas, opifices, mercatores siue tabernarios, & mercenarios; quæ partes ad pacis tem- pora maximè pertinent. Secundò, distin- guit, civium qui bello sint idonei, ordines totidem, ἰππικὸν ὀπλιτικὸν, ἰλιθὺν, ναυτικὸν, equi- tatum, peditatum grauioris armaturæ, ordi- nem velitum, siue ferentiariorum vel leuio- ris armaturæ, & ordinem naualium siue classiariorum. Tertio, statuit in ea regione Oligarchiam fortem siue grauissimam ac deterrimam posse constitui, in qua equita- tus facilis est; multique equos alere possunt, quos scilicet valde diuites esse oporteat. Quarto, ibi proxima Oligarchiam, quæ priori moderatior est, & magis popularis, posse fundari; vbi regio ad pedites grauior- is armaturæ magis est accommodata: Eius- modi siquidem milites è locupletioribus potius esse quàm ex egentibus: cum multis copiis & instrumentis opus sit, ad grauem illam armaturam. Quintò, velites siue le- uioris armaturæ milites, quos vocat ἰλιθοὺς, quasi nudos vel tenues; itémque nauticos siue classarios, Democratia esse idoneos. Quod nempe, velites & classarij sint è te-

nuioribus. Sed ne ex velitibus & classariis, si fortè ij in Republica Oligarchica abun- dent, vllum existat detrimentum, qui sci- licet facillè Oligarchiam commutare pos- sent in Democratiam; admonet, velites equitum turmis, & peditum legionib. cautè prudentérque esse admiscendos, quantum scilicet opus esse videbitur; atque eos qui- dem non ex ipsa plebe, quæ ad Democrati- am est procliuis, sed ex locupletiorum nobiliorumque familiis esse assumendos, eosque idcirco à tenera ætate velitationi- bus siue leuioribus illis armorum officiis esse exercendos. Postea ponit institutum Oligarchicum de adsciscendis plebeis ad reipublicæ administrationem: si videlicet censu maximo, & qui ad magistratus sum- mos sufficiat, instructi sint; vel si certo tem- pore, putà decem aut viginti annis à fordi- dis artibus abstinuerint; vel si maximè ido- nei iudicentur, qui Rempubl. administrent. Addit, in Republ. Oligarchica debere eos qui sumos gerunt magistratus, onera sum- ptusque publicos, λειτουργίας vocat, magni- ficè sustinere, magnas scilicet facere im- pensas in sacrificiis, operibus publicis, ædi- ficiis, statuis, templis, epulis, & similibus vrbis ornamentis, ut hac arte & munificen- tia populus concilietur, atque à gerendo magistratu supremisque honoribus tanta profusione emptis prudenter arceatur. Quod præceptum ab iis minimè obserua- tum fuisse ait, qui sui temporis Oligarchias tenebant, qui nimirum diuitias, quæstum, & honorem pari studio consecrarentur.

Ad Cap. octauum.

Agit de Magistratibus, πρὸς ἀρχαῖς, eo- rumque generibus & partibus. Primò quidem, de ciuilibus. Secundò, de sacris. Tertio, de extraordinariis & rariis. Supponit ante omnia insigne documētum: Non posse ciuitatem stare sine Magistrati- bus necessariis; ut nec rectè habitari, οὐκ ἐπι- δεικνύμεθα καλῶς, ac feliciter, sine iis quæ pertinent ad εὐταξίαν, ἢ κόσμον, egregium ordinem & præclaram institutionem atque exornatio- nem, Gallicè, au bel ordre & établissement bien réglé. Ex quo documento colligitur distinctio magistratuum in necessarios, & non necessarios. Deinde repetit quod libro quarto dixerat: paruis ciuitatibus paucos, in magnis plures necessarios esse magistra- tus. Nempe quia in paruis pauci sint ad im- perandum idonei, in magnis, plures. Vnde in illis necessariò multi magistratus vni mandantur; in his contra; nempe vnus vni. His suppositis recenset necessarios magi- stratus, eosque ciuiles. Primus est ἀγορευματῶν, la Preuosté des Marchands, vel, ut ille ait, ἀρχὴ πρὸς τὴν ἀγορὰν, magistratus circa forum occupatus, in rebus scilicet venalibus, in commerciis, & contractibus; ne quid dolo

ἢ τῆς εὐ- ταξίας.

Ciuium bello apto- rum qua- tuor ordi- nes.

aut iniusta mensura diuendatur, sed ordo, modus, & fides vbique seruetur. Qui enim hos magistratus gerunt, dicuntur à Græcis ἀγορονομοί, quasi legem foro dantes. Secundum vocat ἀγορονομίαν, siue curam & directionem rerum vrbatorum, publicarum & priuatarum, vt ædificiorum, viarum; fontium, portuum. Huic magistratui obseruat Dionysius Lambinus parem fuisse Romanorum Ædilitatem maiorem: *la grande voyerie*. Sed verisimilius est Romanos Ædiles tantum potestatis habuisse, quantum habebant apud Græcos Agoranomi, & Astynomi. Tertium appellare possumus, ἀγορονομίαν, siue curam agrorum & syluarum, eorumque quæ sunt ἔξω τῆς ἀστυος, extra urbem: Quæ magistratum qui gerunt, ἀγορονομοί, vel οὐλωροί, dici annotat, quos etiam Plato φερουσιάρχης nominat: Latini verò vocant syluarum vel rei agrariæ præfectos: barbarè, forestarios, (forestum enim aiunt syluam significare, fortè quia sylua sit foras vel extra urbem,) Gallicè *Maistres des forests*. Coniungunt autem Galli aquarum & syluarum curam, vnde idem magistratus dicitur vulgo, *Maistres des eauës & des forests*. Possent fortasse haud inepta Latinitate Hylori dici saltuarij: nam in iure ciuili sæpe nominantur serui saltuarij, *l. in instrumento 12. §. saltuarium. ff. de instructo vel instrument. leg.* Quartum magistratum qui gerunt vocat ἐπιδικτας & ταμίαι, quæstores, thesaurarios, receptores, coactores publicorum reddituum. Qui quintum, ἱερουμήμοναι, ἐπιστάται, μνήμοναι, Latine, Scribas, Actuarios, Tabellarios, Cancellarios, Notarios; Gallicè, *Greffiers, Notaires*, longè maiori in honore olim habitos apud Græcos, quàm apud Romanos, vt testatur Cornelius Nepos. & scribarum quidem officia fuisse, vt apud eos instrumenta contractuum, nuptiarum scilicet, transactionum, donationum conficerentur; item Senatuscòsulta, & sententiæ iudicum, acta, tabellæque publicæ perscriberentur, & asseruarentur. Sextum, ait esse eorum qui pœnas à damnatis exigunt, multas efflagitant, in carcerem & vincula coniiciunt; quem magistratum (Gallicè *Lieutenant Criminel, Preuost des Marechaux*) vt maximè necessarium sic & difficillimum & odiosissimum esse obseruat, ideòque debere in plures viros, quantum fieri possit, & vicissim diuidi, præsertim in iuniores: alioqui, si qui condemnarint, iidem exequantur, multamque exigant, ἀπὸ χθονὸς ἔχει διπλῶν, duplici inuidiâ laborabunt. Vnde Chrysippus rogatus cur non gereret magistratum, respondit; *Quia si malè administrauerim, Diis displicebo: sin bene, hominibus*. Addit Aristoteles, sex illis necessariis magistratibus hætenus enumeratis, alios non quidem minùs necessarios, sed illustriores & honoratio-

res, & qui multam experientiam fidemque requirant. Quorum quosdam versari ait in custodiendis tam pacis quàm belli tempore portis & mœnibus ciuitatis, alios ordinari ad bellicos vsus: hinc magistratus dici, στρατηγὸς & πολεμάρχης. Alios censores esse, correctores, examinatores, εὐθύνου, λογιστῆς, ἑξεταστῆς, rationum magistros, Gallicè, *Maistres des Comptes, Contreroolleurs*: apud quos qui magistratu abijissent, suæ administrationis rationem reddere tenebantur. Sed præter hos esse vnum aliquem summæ auctoritatis, qui ἐφορέαν obtineat, vectigal & tributum exigat, præsit populo, cum ipse populus Reipublicæ summam tenet; & populum ad comitia conuocet. Et eos quidem qui hunc magistratum gerunt, dici σεβῆλοι, prouisofores, consules: vbi autem præest populus, dici eundem magistratum βουλῶν, consilium publicum, curiam, Senatum. Atque hæc de ciuilibus. Docet postea alios esse magistratus, sacros scilicet & diuino cultui destinatos, vt sacerdotes, ædituos, reges sacrorum seu pontifices. Item alios rariores, & optimarum artiumque pace ac otio fruentium ciuitatum proprios, nempe, γυμνασιονομίαν, νομοφυλακίαν, παιδαγομίαν, γυμνασιάρχίαν, rectam mulierum institutionem, legum custodiam, puerorum disciplinam, gymnasiorum præfecturam, curam Theatralem, siue spectaculorum, & similes. Enimvero hos magistratus rariores vocamus, quia non sunt ad ciuitatem absolutè necessarij, licet sint honestissimi & rectæ rationi maximè consentanei. Quippe cum in iis tantum ciuitatibus reperiantur, quæ beatiore sunt, & maioris ornatus ac honestatis, τῆς εὐκοσμίας, appetentiores. Vbi obseruat Aristoteles γυμνασιονομίαν, & παιδαγομίαν, non esse Democraticas: nempe quia in Democratia, vbi tenuiores imperant, viri vxoribus, liberisque vtuntur, vt seruis; neque iis præ egestate licet vxores natòsque morum magistris, aut præceptoribus tradere instituendos. Concludit, ex magistratibus suprâ commemoratis, Nomophylaces quidem Aristocratia in qua lex viget & virtus, esse accommodatos; Consules autem siue σεβῆλοι, Oligarchia; Consilium autem publicum, siue Senatum, Græcè βουλῶν, Democratia. Sicque claudit tractatum de magistratibus.

Sacri magistratus.

Honestiores & rari magistratus.

In vitâ
Eumenis.

LIBER SEPTIMVS Politicoꝝ.

Constat capitibus septemdecim ad partes duas redactis. Prior est veluti proœmium à cap. 1. ad 4. vbi de Reipublicæ optimo statu, atque adeo de vita optima, tam ciuitatis, quàm singulorum. Posterior est ipsa

Summa libri secundi
 ipsa tractatio, quæ etiam in duas partes distingui potest. Itavt prior quædam hypothese siue principia & fundamenta Reipublicæ Aristoteles iaciât, explicetque à ca. 4. vsque ad 13. Posterior verò ipsam Aristotelam Rempublicam aggrediatur, ab institutione civium, à matrimonio, à puerorum educatione, idque à cap. 13. huius libri ad finem octavi, totiusque operis. Ex quo facile vnusquisque intelligere poterit maiorem ferè & præstantiorem Politicæ Peripateticæ partem intercidisse. Quæ scilicet in pueritia, & studiis adolescentum deficiat, neque ulterius progrediatur. Quæ causa Kyriacum Strozam virum clarissimum & quàm doctissimum impulit, vt duos libros de religione & re militaris his octo Aristotelicis annecteret in supplementum.

Ad Cap. primum.

Dicturus deinceps de ea Reipublicæ institutione & forma, quam ipse suo iudicio optimam putat, (putat autem esse vel regnum, in quo vnus omni genere virtutum aliis civibus superior, pro dignitate & merito dominetur, de quo lib. 3. vel potius, quia tale regnum rarissimū est, Aristocratiam siue imperium optimatum, de quo ibid.) Statuit primo, ei qui de optima Reipublica acturus est, ante omnia dicendum esse de vita beata & optima, siue quæ omnium maximè sit expetenda: quia nempe qui optima Republ. vtuntur, optimè etiam viuunt, neque hæc duo disiungi debent aut possunt, vita beata, & optima Respublica. Secundo, supponit ex l. i. Ethicor. bona fortunæ, corporis, & animi ad beatam vitam esse necessaria: eumque beatum non esse, nec dici, qui virtutis sit expers, qui timeat *μεγαπτοίβριαι μύς* Volitantes muscas, aut qui sit intemperans, imprudens, excors, insanus; sed qui potius contrariis virtutibus sit præditus. Imò verò beatiorum esse eum, qui virtute magis excellat, quàm qui aliis abundet bonis: cum virtus sit affectio animi. Animus autem & fortunæ & corporis bonis longè sit præstantior, *καὶ ἀπλοῦς ἢ μὴ*, id est, & simpliciter, quia est perfectioris naturæ; & quoad nos, siue respectu nostri, quia nihil habemus excellentius, melius, vtilius, animo, sine quo rectè vtiliterque aliis bonis vti non possumus. Item quia animi gratia cætera bona expetantur. Tertio, colligit tantum felicitatis esse in vnoquoque nostrum, quantum inest virtutis & prudentiæ, actionumque ipsis consentaneorum, non autem quantum inest diuitiarum, aliorumve bonorum externorum. Quod probat, Dei exemplo, quem ait non ob externa bona, sed per se & natura sua esse beatum. Quarto, statuit iisdem rationibus, quibus effectum est, vitam beatam optimamque singulorum, in virtutis & prudentiæ actione consistere,

Tom. 3.

concludi etiam posse ciuitatis seu Reipubl. optimam formam in exercitio virtutis esse positam: itavt ea sit beatissima optimaque Respublica, quæ optimè agat & ex virtute; neque vita, virtutes, & felicitas singulorum, aliq̄ sint à vita, virtutibus & felicitate communi Reipublicæ, siue totius ciuitatis. Vbi tamen eam vitam desiderat, quæ coniuncta sit *καὶ ἀπὸ τῆς κακοπραξίας*; cum virtute, bonis aliis externis scilicet & torporeis, mediocriter instructa.

Ad Cap. secundum.

Statuit in eo consentire omnes Politicos, vt dicant Reipublicæ summum bonum in eadem re esse positum, in qua sit summum bonum, siue felicitas singulorum hominum. Sic qui felicitatem singulorum reponunt in diuitiis, eosdem Rempublicam eam beatissimam facere, quæ diuitiis abundet. Qui in tyrannico dominatu, & ampliori potestate; Qui in virtute; pari modo. Tum proponit quæstiones duas. Prior est de vita Politica siue actiua, & de Philosophica siue contemplatiua, vtra sit præstabilior: qua de re decernet capite sequenti. Posterior quæ sit ponenda omnium optimæ Reipubl. forma & administratio? Statuit deinde, eam esse optimam Reipublicæ formam, secundum quam vnusquisque optimè agat, beatèque viuat. Sed controuersiam esse ait vtra sit vita magis expetenda, præcticanè & civilis, an verò ea quæ à negotiis ciuilibus libera est & immunis, diciturque contemplatrix, vel Philosophica? alterutrâ enim optimi quique ac præstantes viri sequi solent. Quamquam & alij putant solam eam Rempublicam beatam esse, quæ tyrannico & herili dominatu finitimis siue vicinis populis imperet, volentibus, nolentibus. Atque hoc dominandi fine proposito plerasque Respublicas & nationes totas ferè ad rem militarem ac bellum esse compositas, imò & honoraria quædam viris bellicosus & strenuis; ignominiam & pœnas ignavis indixisse. Sed hanc Politiam de tyrannico dominatu refutat Aristoteles, vt iniustam; quod scilicet iniustum sit nolentibus imperare, & omnibus heriliter; cum omnes natura serui non sint, sed plerique natura liberi, quibus imperare heriliter, nefas est & contra naturam. Præterea potest optima esse & florentissima Respublica, quæ de bello nō cogitet, aut dominatu in exteros, vt est ea quæ longissimè distat ab hostibus, altaque pace fruatur. Non est ergo Respublica illa ad dominandum finitimis, atque ad rem militarem comparata, omnium optima & beatissima. Esto. Ars studiumque rei militaris honestum sit & laudabile, non tamen vt finis vltimus Reipublicæ, sed vt medium illius protegendæ assumi debet & usurpari. Concludit, Politici & legislatoris munus esse, videre

Legendus
 contextus
 de præmissis
 strenuorum,
 & pœnis
 ignavorum,
 apud varias
 gentes.

Qui virtute excellit, beatior est.

Dens per se beatus est.

quid cuique conferat, sitque optimum, siue quod idem est, ciuium beatitudinem scopum esse Politici.

Ad Cap. tertium.

Questionem de comparatione vitæ Ciuilis & Philosophicæ superiori capite propositam dirimit & explicat. Sed primùm exponit rationes pro vtraque: pro Philosophica quidem: Aiunt enim Philosophi, vitam ciuilem esse seruilem, non libero homine dignam: quia qui præsumunt domini: qui parent, serui. Pro ciuili autem: aiunt quippe Politici bonam actionem, siue *ἐν ἀρχαῖς*, idem esse cum optima & beata vita: Ergo quisquis nihil agat, ut Philosophus, qui otiosus est, & soli vacat contemplationi, is non erit beatus; vel, quod idem est, optimam vitam non agat: Atque adeo vita ciuili melior & beator erit Philosophica. Harum rationum arbiter & disceptator Aristoteles, ait, & Philosophos & Politicos partim rectè dicere, partim non rectè. Philosophos quidem in eo rectè sentire, quòd dicant vitam liberi meliorem esse seruili: in eo autem non rectè, quòd putent omnem dominatum & imperium esse despoticum siue seruile: Ciuile enim siue Politicum eo differt à seruili, quòd sit in liberos. Item, quòd dicant τὸ ἀνεργεῖν, otiosi, nihil agere, melius esse τὸ ἀεργεῖν. Hoc enim falsum est, cum beatitudo in actione consistat: & actiones virorum iustorum & temperantium magnos habeant & honestissimos usus. Vnde concludit, vitam beatam in bene agendo esse positam, & ut communiter Reipublicæ, sic & singulorum quicumque sint, vitam optimam esse eam quæ in actione posita est. At Politicos in eo errare, quòd illi putent se solos actionibus, aut vitæ practicæ & actuosæ incumbere, quia externis officiis, & Reipubl. negotiis, iudiciis, commerciis vacant; quasi ad simpliciter rectè agendum externa aliqua publica & sensibilis actio requiratur. Hoc enim falsum est. Licet enim acta illa Politica & publica, iustitiam exercere, populum conuocare, ædificia, vicos, agros curare & similia, vulgò dicantur praxes siue actiones, possumus tamen meliori iure Philosophorum *θεωρίας καὶ διακρίσεις*, inquit Aristoteles, vocare actiones, ut pote perfectiores, & Architectonicas: præsertim cum eos maximè agere omnes dicant, qui consilium dant agendi, vel aliquid præcipiunt, aut quomodocunque præscribunt, licet ipsi opera & manu nihil moliantur aut efficiant. Quod certè de Philosophis dici potest, qui doctrina & consilio si non externis actionibus, possunt Reipubl. adiuuare. Quòd si, quia nullæ sunt Philosophi actiones externæ, ideo nullæ prorsus essent, profectò Dei,

Vita excellentiar Ciuilis ne vita, an Philosophica.

Contemplationes & ratiocinationes.

mundique totius actio nulla esset, cum Deo & mundo nullæ, inquit Aristoteles, externæ actiones (putà vel extra se, vel humanis similes, ut venditio, emptio, actio, fortitudinis, temperantiæ) insint aut conueniant; sed internæ & quæ sunt eorum propriæ. Dicere autem nullam Deo, mundoque toti conuenire actionem, falsum & impium est. Deus enim actus est purus & perfectissimus. Et vnumquodque in mundo est propter suum operari, ex lib. 1. de Cælo. Concludit ex dictis eandem esse optimam vitam ciuitatum siue Reipubl. in communi; & singulorum hominum in particulari: sicque libri præemialia claudit.

Ad Cap. quartum.

Quæ restant de Politicis Aristotelis explicanda, ea ad partes duas referri commodè possunt. In priore enim, quæ ab hoc quarto capite vsque ad caput decimum sextum huius libri extenditur, quædam hypotheses & veluti fundamenta optimæ ciuitatis, eiusve Reipubl. quæ sit *κατ' ἐὶ καὶ* ex animi sententiâ & voto, iaciuntur: ut de ciuium multitudine, magnitudine ciuitatis, & totius agri siue territorij, de moribus & ingenio cultum, de situ vrbis ad flumen, ad mare, vel alibi. In posteriore autem, quæ est à cap. decimosexto huius septimi li. ad octauum vsque & postremum finem, agitur de institutis & legibus in Republicâ seruandis. Sed institutionum Politicarum Aristotelis maxima & grauissima pars intercidit: ut alibi notauimus.

Hoc igitur capite supponit primò non posse esse optimam Reipubl. *ἀνευ συμμέτρου πορείας*, sine sufficiente comœatu, rerumque certarum copiâ, ut est ciuium numerus, vbertas soli, clementia cæli, situs vrbis, & similia. Secundò, ea bona esse optanda & ponenda, quæ possint obtineri. In quo errauit Plato, qui, ut Cicero loquitur, de Republicâ optauit potius quàm disputauit, multaque posuit in libris de Reipubl. planè *ἀδύνατα*. Tertiò, primam partem *πολιτικῆς πορείας*, esse ciuium multitudinem; secundam, locum ciuitatis. Quartò, statuit magnitudinem ciuitatis non ex multitudine habitatorum æstimandam esse, sed ex potentiâ & facultate, quâ opus suum officiumve possit optimè perficere, id est, ad felicitatem commodè peruenire. Ideòque magnam eam esse ciuitatem, quæ beata sit; maiorem, quæ beator; maximam, quæ beatissima. Quintò, etiamsi concederetur ex multitudine habitatorum æstimari debere magnitudinē ciuitatis, quod tamen minimè est concedendum, non esse propterea ex qualibet multitudine, putà seruorum inquilinorum, sed eorum qui propriè sunt partes ciuitatis, verique ciues, ut sunt viri boni, docti, diuites, nobiles,

Dei actio externa nulla.

Vnde nam æstimanda ciuitatis magnitudo.

biles, milites. Sextò, nimiam frequentiam & multitudinem hominum non posse feliciter bonisve legibus gubernari, cum multitudo nimia ordinis particeps non sit: lex autem ordo sit. Hoc enim præstare, diuinæ virtutis est, quæ rerum vniuersitatem continet & gubernat. Septimò, ciuitatis, vt & aliarum rerum, animalium scilicet, plantarum, operum artificiosorum suam esse definitam magnitudinem ac modum: ideo non esse eam ciuitatem, quæ nimium paucis ciuibus constet: sic enim non esse seipsa contentam, vt esse debet; & quæ nimium multis: sic enim gentem potius esse, quam ciuitatem, cui non nisi difficulter Politiam legesque statuere quis possit. Octauo, modum iustæ magnitudinis ciuitatum esse *αὐτάρκειαν*, bonorum sufficientem copiam, & præterea vt magnitudo sit *εὐκρίσιμος*, id est, quæ facillè cognosci possit, ita vt ciues inter se bene noti sint.

Ad Cap. quintum.

Agit de agro condendæ ciuitati opportuno; & de situ vrbis. Statuit, agrum debere esse *παρτοφείον*, rerum omnium feracem; ita vt incolæ ex eo viuere possint, etiâ nihil agentes, *ἐλευθερίας ἀμαχί, σωφρονίας*; liberaliter, & temperanter. Item hostibus *ἀσιμβολον*, inaccessum; incolis autem *εὐκρίσιμος*, accessu facilem. Denique *εὐκρίσιμος*, ad spectabilem, cui succurri facillè possit. Postea sicum ciuitatis eum esse debere ait, quo possit esse ciuitas particeps commodorum, quæ & à mari obueniunt & ab agris.

Ad Cap. sextum.

Differit de communione & commercio maris, in vtramque partem. Statuit verò commercium maris optimæ Reipublicæ esse vtile & commodum. Quòd si aliquid detrimenti timeatur, id legibus posse caueri, emporio nimirum siue loco mercaturæ destinato, ab vrbe, vt par est, diuiso: sic enim & commerciorum vtilitas erit; neque ipsi ciues in ciuitate degentes, externorum mercatorum vitiis corrumpentur. Admonet non debere esse multitudinem nauticam nimium multam; neque socios nauales, vt remiges, in numero ciuium esse habendos, saltè in optimâ Republicâ; cum sint de ordine opificum, quos omnes in optimâ Republ. à ciuium numero esse remouendos infra capite nono demonstrabit. Vbi significat se nomine sociorum naualium; non intelligere epibatas siue milites classicos, qui cum liberi sint, & rei nauticæ, sociisque præsent, non minimum nomen & locum habent in ciuitate.

Ad Cap. septimum.

Agit de indole & naturâ ciuium optimæ Reipublicæ; Statuitque eos debere esse naturâ *διανοητικὴν ἔνθυμοις*, ingeniosos, acres, & animosos. Hos enim ad

virtutem esse *εὐαγυροί*, facillè tractabiles & propensos. Vbi egregia quædam & scitu digna interserit de moribus & ingenio Europæorum, Asiaticorum, & Græcorum. Europæos enim & qui frigidas regiones incolunt, vt Septentrionales, animosos, id est, fortes, iracundos, generosos, bellicosos, audaces; sed non ita pollere iudicio, intelligentiâ, ingenio, aut etiâ florere scientiis & artibus; quippe qui calidiori sanguine abundantes, arma potius quam Musas aut sapientiæ studia conseruentur, ingenioque sint minus acuto, & prudentia remissiore. Nempe quia in frigidis regionibus aër & cælum crassius est, & nubibus plerumque infestum, vnde cibus potiusque crassior, nec satis purus, aut tenuis; Itèmq; spiritus ex aère & sanguine geniti, nebulosiores nec satis lucentes, clari, & compositi, quales ad literas & Philosophiam requiruntur. Esse vero Europæos, vt Gallos, & Septentrionales populos, audaces & generosos testatur Liuius lib. 37. & 38. & Lucanus Poëta lib. 8.

*Omnis in Arctois populus quicūque pruinis
Nascitur indomitus bellis, & mortis amator.*

Asiaticos verò, ingenio, arte & sapientiâ, plurimum valere, ignauos tamen esse, moles, effœminatos, imbelles, & parum animosos, ideòque perpetuò parère ac seruire, cum Europæi potius dominantur ob bellicam fortitudinem. Cuius rei ratio est, quòd Asiatici siti sint in cælo calidiorè, vnde fit vt exucci sint, quippe qui tenuiore ac subtiliore aère, ciboque vtantur; ex quo fit vt parum sanguinis habeant, ideòque sint timidi; & tamen prudentes & ingeniosi; quia sanguis ille purior sit; & spiritus ex eo itèmq; ex aère geniti, subtiliores. Vnde Lucanus loco citato:

*Quidquid ad Eoos tractus, mundi que leporem
Labitur, emollit mores clementiæ cæli.*

Græcos verò vt medij sunt inter Europæos, & Asiaticos, sic amborum virtutis esse participes, ideòque simul animosos esse, fortes, ingeniosos, ac prudentes. Ex quo fit vt Græci semper liberi sint, & Reipubl. suam optimè administrant; Itayt si vnam Politiam seruant, omnibus gentibus possent facillè dominari. Sed quod hoc loco suis Græcis attribuit Aristoteles, non credit Cicero; & Romanis solis attribuendum putat. Sic sua quisque genti fauere plus æquo solet. Est tamen mens Aristotelis, vt doceat, mores & ingenia ciuium & incolarum varia esse pro varietate cæli & soli, quod sanè est verissimum. Non quasi astra, aër, & cibi, externæque causa necessariò ac per se vitia aut virtutes in animos imprimant; quæ à libera hominum voluntate dependent;

*Intelligere oportet Europæos in-
simos & maxime
Septentrionales.
Europæi
audaces
& bellicosos, sed im-
prudentes.*

*Asiatici
molles, sed
ingeniosi.*

*Vide Pro-
blema 8.
sect. 13.*

*Græci se-
per liberi.*

*Lib. 2.
Quæst.
Tuscul.*

A celo & solo ingenia & mores.

sed quod certas qualitates corporibus, eorumque temperamentis inferant, quæ ad vitiosas vel honestas actiones animum disponant, inclinent, promoucant. Aiunt enim Medici, mores animi sequi temperamentum corporis. Sic calor acer & multus in præcordiis animositatem excitat, fortitudinem acuit, ad iram prouocat, & audaciam; frigus autem siue mitis ac remissus calor, contrà. Quâ de re legendi sunt Plato lib. 5. de legib. in Timæo, in Menexeno, & lib. 8. de Republ. Hippocrates lib. de aëre, aquis, & locis. Plutarchus lib. 5. de Plac. Philos. c. 30. Galenus lib. 2. de Temperamentis, & lib. Quod animi mores sequantur temperam. corp. M. Tullius l. 5. de Diuinat. Apuleius lib. 2. de Asino Aur. Vegetius lib. 1. de re Milit. c. 2. Polybius lib. 4. Apollonius Tyaneus apud Philostratum, Plinius lib. 2. c. 78. Ptolemæus lib. 2. Quadripartiti cap. 2. & 3. eiusque in eum locum interpretes Haly & Albumazar Introducitorij lib. 3. & 5. & alij plurimi. Quod verò de maioribus totius mundi partibus, Europâ, Asiâ, & mediâ suâ Græciâ dixit Aristoteles (videtur autem tres tantum mundi partes agnoscere, imò duas, cum Græciam faciat intermediam, & vtriusque participem) idem vult esse accipiendum de singulis vnus regionis particulis, ita vt in Græciâ, alij sint animosi & fortes, alij ingeniosi & sapientes; alij vtrâque virtute floreat, secundum cæli solique varietatem. Addit postea in textu, amicos & familiares, sibi notis & amicis asperiores esse, atque in eos magis exacerbari, cum ab iis iniuriâ afficiuntur, quàm in alios ignotos; quia nimirum potius ab amicis illis & sibi notis beneficium expectant, sibi que illud deberi putant; cum interim iniuriam recipiant: quod duplex est detrimentum. Hinc amicorum odia acerissima: fraterna bella asperissima. vt constat de Abel & Cain; Iacob & Esau: Romulo & Remo; Eteocle & Polynice fratribus iuxta illud Poëtæ,

χαλεποὶ πόλεμοι ἀλλήλων.

Fraternalis acies alteraque Regna prophanis Decertata odiis

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Ad Cap. octauum.

Statuit primò, non omnia ad ciuitatem necessaria, esse partes ciuitatis; vt neque ea quæ necessaria sunt, compositis naturalibus, puta animalibus, partes sint ipsorum. Sic enim cibus, potus, labor, somnus non sunt partes animalium, licet sint in iis necessaria. Secundò, ad omnem ciuitatem necessaria esse *τροφὴν*, alimentum; *τέχναι*, artes; *πλῆμα*, arma; *κεφάλαια*, pecunias; *θεῖον*, Sacerdotium, siue curam religionis ac rerum diuinarum, quam pius vir Deique cultor Aristoteles omnium primam esse debere ait, licet eam quinto tantum loco nu-

Cura religionis prima esse debet in Reipubl.

meret. Denique *κρίαν*, iudicium, siue iustitiæ exercitium. Nempe quia ciuitas aliquo horum orbata, non esset seipsâ contentâ. Hinc concludit, necessarios esse in ciuitate Agricolas, artifices, milites, opulentos, Sacerdotes & Iudices.

Ad Cap. nonum

Statuit, in Democratiâ, in quâ populus Somnium dignitatum ius habet, vnum & eundem posse esse agricolam, artificem, militem, diuitem, Sacerdotem, iudicem: in Oligarchia quæ Democratiæ contraria est, minimè. Tum in optima Republ. quæ scilicet vnam quærit virtutem, ciues non debere esse opifices, nec mercatores; cum homines isti vitam agant virtuti cõtrariam, & auaritiæ plenam; nec agricolas; cum hi rei rusticæ curis sint addicti, nec possint vacare virtuti, actionibusque Politicis, ad quas otium & quies requiritur. Tertio, statuit iisdem hominibus mandari posse rem militarem, & iudiciorum potestatem, sed diuerso tempore, ætate, pro ratione dignitatis: Et rem quidem militarem committi debere iunioribus, quorum ætas robustior est: iudicia verò senioribus, qui prudentia valent. Quarto statuit, ciues optimæ Reipubl. debere esse opulentos, vt commodius virtutem colant. Quintò, Agricolas & artifices non debere fieri Sacerdotes, sed eos qui verè sunt ciues, à quibus Deum coli est honorificentius. Ciuium autem ordines cum duo sint maximè, nimirum milites, & iudices, debere eos quibus ætate grandioribus otari ac quiescere licet, ad Sacerdotalem ac Pontificiam dignitatem promoueri. Nota, Lector Christiane, Ethnici Philosophi fructum & salubre præceptum de Sacerdotum consecratione, & ordinatione: legitur enim in textu *τῶν ἱερῶν τάξις*, ordo Sacerdotum: vult enim *φιλοσοφίας* Philosophus, eos qui ad Sacerdotium euehantur, esse vitæ probatæ, liberalioris & honestioris: item desumi ex ordine ciuium, id est, virorum selectiorum, quibus religione & virtute nihil sit antiquius. Denique esse ætatis proeectioris & maturioris. Huc referri potest, quod dixit Pythagoricus ille, Regem debere esse bonum *κατὰ γὰρ τὴν ἀρετὴν*, & *δικαίον*, & *ἱερὸν*: qualis creditur fuisse Hermes ille Ægyptiorum: ideo *ἑρμῆος*, ter maximus cognominatus.

Ad Cap. decimum.

Docet vetus esse institutum, vt ciuitas in certa hominum genera, vt in milites & agricolas distinguatur: Item, vt sodalitates & conuiuia statim temporibus celebrentur. Tum ait necessaria prius esse inuenta, quàm ea quæ pertinent ad *ἐὐχρηστοσύνην*, ornatum & elegantiam. Vtendū rectè inuentis. Quærèda quæ fuerunt omissa. Sumptus rerum diuinarum debere esse communes totius

Ciues optimæ Reipubl. non debent esse opifices, mercatores, agricola.

A Sacerdotio arceri debent artifices & agricola.

In legi Mosaica non quini fiant Sacerdos.